POLYAEMIAE NOSOLOGIA,

PRAESIDE

GEORGIO FRIDERICO SIGWART,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT.
CHIRVRG. ET ANATOMIÆ PROF. PVBL. ORD.
MEDICO AVLICO WIRTEMB. FACVLTATIS
MEDICÆ SENIORE,
p. t. VNIVERSITATIS RECTORE,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

RITE CAPESSENDO

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA

D. *MDCCLVI.*

RESPONDENTE

CHRISTIANO LVDOV. FRIDER. LINCK,
Wildbergenſi.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

TVBINGAE,
Typis LOEFFLERIAE VIDVAE.

Sanguis quum abundat, Valetudinem vitiat.

HIPPOCRATES.

PRÆFATIO.

*M*edicina omnis, *jatrologica* pariter atque *chirurgica*, binis tantùm in univerſum comprehenditur *partibus*, ex vero & adæquato ipſius *objecto* æſtimandis, *unâ* nempe *theoreticâ*, *alterâ* vero *practicâ*. Quoquot etiam noſtri non ſolùm ſed & procul dubio altioris fori *Medicinæ* offeruntur *morbi*, omnes ſui, partim *cognitionem*, partim *remotionem*, exigunt. Quem *plethoram* dicunt, is eſt morbus, quem hac vice intendo. Hujus igitur conſideratio *pathologica* unam, *practica* alteram, doctrinæ de iſto paginam abſolvit. Prioris particulam hic tantùm pingendam ſumo. Actum agere nemini videbor, cui præter planè inaudita non omnia ſordent. Eſt omnino etiam aliquid ab aliis jamjam culta ultrà colere & novis augere acceſſionibus. *Multi*, haud inficior, multa de hac re dixerunt, ſed, quod pariter haud negandum eſt, eam non usque ex-

hauſerunt, ut nil amplius utiliter poſſit addi. Taceo plerosque in ejusmodi *Pathologiis* condendis certæ cujusdam Medicorum *Sectæ* privatô juſto plus duci & ſeduci *ſtudiô*, à quo, ut alibi, ita in hac quoque re, nos quàm alieniſſimos eſſe, profitemur, & ipſo hôc *ſpecimine pathologicô* teſtatum faciemus luculentiſſime. Veri nominis *Eclecticorum* more, ab omnibus omnia quocunque modô ad cognitionis noſtræ augmentum proficientia ambabus arripere manubus & in noſtros aliorumque uſus, privatos & publicos, ſedulò convertere, par eſſe, ſemper judicavimus. Has, non immoderatæ licentiæ, ſed æquioris ſentiendi libertatis, non oſtentationis, ſed exercitii academici, partes lubenter ſuſcipientes & LECTORIS humanitate & benevolentiâ freti certiſſimâ, quod potius eſſet, in optatis nil habemus, quam ut omnis ſalutis noſtræ Sator Statorque in ſui Nominis gloriam, in ſcientiæ noſtræ incrementum, in ægrorum denique nobis concreditorum emolumentum hoc quoque tentamen dirigere velit quam benigniſſimè.

Præcognoſcenda.

§. I.

Quemadmodum omnis *morbus organicus* ad noſtri fori ſpectans Medicinam eſt: vel *corporis*, animalis nempe ideoque *organici*, *morbus*, vel *morbus animæ*, ejusmodi corpori *organico* unitæ, ita *prioris claſſis* maxime *morbus* omnis eſt: vel *motus*, vel *materiæ morbus*. *Motus* autem peccant aut *directione* aut *celeritate*, hacque, vel *excedente*, vel *deficiente*.

§. 2. *Materiam* pariter (§. 1.), vel *qualitate*, vel *quantitate*, peccare poſſe, nemo non videt. Inde morbus materiæ

riæ rectè dividitur in *morbum qualitatis* & *quantitatis materiæ.* Varii & innumeri eſſe poſſunt ejusmodi morbi, in *ſolidis* æque ac in *fluidis.* Sed omnis *quantitas morboſa*, vel *defectum* innuit, vel *exceſſum. Exceſſus fluidorum*, in corpore animali occurrens, duplex maxime eſt. Aut enim *fluentum aëreum* corpus animale infeſtat, aut *humorum* copia illud opplet gravatque. *Prioris ordinis morbos materiæ* dicimus *flatulentias. Poſterior* dictus *ordo* comprehendit *humorum abundantiam*, inter quos *abundantiæ morbos* omnium frequentiſſimus eſt, qui πολυαιμία aptè vocatur.

§. 3. Hac (§. 1. 2.) morborum ſcalâ pervenimus itaque ad præſentis noſtræ disquiſitionis *objectum*, juxta quod, ut *titulus* habet, verſabimur circa *polyæmiam præternaturalem*, ſeu *plethoram*, *ſtrictiſſime dictam.* Eam enim innuunt, ubi vulgatô dicendi genere obiter de *plethora* hodie loquuntur. Duplex ſtatus hujus morboſi eſt conſideratio medica, una *theoretica*, *pathologica*, altera *practica*, ſeu *therapevtica.* Vtramque non capiunt præſentis inſtituti paginæ & prioris vix partem primam. *Præcipua* vero hæc eſt & in ſe jam ſatis *ampla.*

§. 4. Præter *res* hic (§. 3.) proponendas, in eo unà erimus toti, ut, quô inter Eruditos decet *modô*, iſtas quoque proponamus, omnem, quoad poſſumus, navaturi operam, ut ſpecimine hôc oſtendamus, *Medicorum* æque bene ac *Aliorum* in orbe literario *cognitionem* & eſſe poſſe & debere *eruditam*, h. e. *analytico-ſyſtematicam.* Quam hæc vero, alia hujusmodi *ſpeciminibus academicis* non convenit cogitandi & ſcribendi ratio. *Vid. Diſſert. de corde humano veri nominis antlia hydraulica* §. 11. Quid? quod Medicos non ſolum in ſuis cognoſcendis, verum etiam agendis ipſaque praxi ad ægrorum ſuorum usque lectum *artem analyticam* perpetuò exercere, & poſſe, & debere, omnes ſanioris notæ Medici ratum habent compertumque nec unâ vice jam à me aliisque demonſtratum eſt. Tantum abeſt, ut quid arrogantiùs hic mihi ſumere puter, qui id ipſum tantùm molior, quod in Eruditorum cœtu præſtare jubeor.

§. 5. De *uſu* cognitionis noſtræ nos ſemper prius ſollicitos eſſe debere, quam ullam ullius materiæ laborioſiorem adgredimur indaginem, quis negaverit? *Vſus*, quem hic intendimus, partim *theoreticus* eſt, partim *practicus*. Proximus *theoreticus* eſt, isque tam *formalis*, quam *materialis*. *Priorem*, quantùm fieri poterit, ob oculos habebimus. Id enim inculcat lex nobis præſcripta (§. 4.). *Materialem* quærimus, ſi non adeo in inſigni, in aliqua tamen ulteriori hujus articuli *pathologici* cultura, qua illius doctrinæ forte paululùm emendatiores & dilucidiores poterunt evadere & aliquid, non plane inutilis, incrementi capere.

§. 6. Hunc *utilitatis* (§. 5.) finem maxime ſuadent, immo urgent, diverſorum adeo *diverſæ* in hoc articulo *doctrinæ*. *Alii*, ſanguinem abundare, plane negant, & eos, qui hunc vitæ theſaurum usquam exuberare dicunt, rident nec pro Medicis habent ſuo nomine dignis. Nondum ſane hæc exſpiravit ſententia, &, quod mireris, inter ipſos GALLOS, ſanguinis alias adeo prodigos, eam adhuc audire, mihi contigit. *Alii*, utut, coccineum laticem copiâ ſua excedere poſſe, ſciant, neſciunt tamen, adeo frequens eſſe hoc ſanitatis detrimentum ideoque, tam doctrinam de *polyæmia*, quam ægros ſuos iſtâ laborantes, oſcitantiùs tractant. Hi ſub millenis morbis modo has modo alias ſanguinis corruptiones, acredines, cacochymias ſalſas, acidas, alcalinas, ſcorbuticas &, neſcio quas alias, culpant culpatasque fruſtraneô & infelici officioſitate removere ſtudent nec removent, ſed removenda potius mala augent, nova inducunt, tum quoque, quum reapſe ſola removenda fuiſſet *polyæmia*. *Senum polyæmia* maxime hîc exempli locô eſto, quæ non apud ſolam ſtolidam plebem, ſed haud raro quoque in altioribus ſubſelliis ignoratur. *V. Diſſert.* A. E. BÜCHNERI *de plethora ſenum*. Hal. 1751.

§. 7. *Alii* prioribus (§. 5. 6.) è diametro oppoſitam tenent ſententiam, & nimii ſunt in accuſanda *ſanguinis plethora* &, quam hanc, vix aliam ægritudinem, aut ægritudinis cauſam in *Pathologia* allegare ſciunt. Hujus ſententiæ Patronos

eſſe

eſſe GALLOS, qui, cui non ſanguinem detrahant, & largius, & repetitis vicibus, vix ullum habent ægrum. Id ſi quis alius, vel ipſimet, negaverint, equidem non crediderim, ſaltem neſcirem, quæ praxeos eorum ratio ſuppeteret alia. GERMANOS inter degeneres STAHLII poſteros (genuinos enim hic, ut alibi, excipere fas eſt) eodem irretitos eſſe præjudiciô ipſimet plenis teſtantur buccis calamisque, è quibus nulla prodire videas judicia, quæ *plethoram* non cauſentur ubique.

§. 8. Subit animum præter dictas (§. 5. 6. 7.) *recentior quorundam*, quæ nondum adeo percrebuit in ſcriptis nec in ſermone multorum cœpit eſſe, *ſententia*. Sunt nempe, qui *plethoræ exiſtentiam*, imò *frequentiam* in *Pathologia* ſua agnoſcunt, qui tamen in *Therapia* & *Praxi* contrarium ſtatuere videntur. Eos indigito, qui, ſub hodierno vitæ genere, *plethoram* maximas edere ſtrages, intelligunt, *ſtragem* tamen *cruentam*, *germanicam*, *gallicanam*, *ſtahlianam*, *lanienam*, & neſcio, quid aliud, dicunt *phlebotomiam*. Hi aut ſibi non plane conſtant, aut ægrorum ſuorum medicinam moralem potius intendunt, quam phyſicam. Pia fraus! Sed caveant, qui ita, ceteroquin bonâ mente, ſtatuunt, ne piâ hac fraude vitam perdere malint, quam non mox reſipiſcere ægros ſuos. Veſtigia me terrent eorum, apud quos id accidiſſe, obſervatum eſt. Audiebant, legebant nonnulli maledica in *phlebotomiam* opprobria, probro ſibi ducebant, venam amplius ſecari, ſuccumbebant tandem hoc onere oppreſſi, ad mentem eorum, quos duces ſequebantur, non reſipiſcentes, non levati. Pietatem ad omnia utilem eſſe, pulchrum eſt, quovis oſtendere modô. Ad ſanitatem eam eſſe proficuam medicis quoque convinci poſſumus ſat validis argumentis. Vt comprobetur à nobis idem datâ quavis opportunitate, oportet. Verùm impios quoque curare oportet, nec decet, ægros noſtros, qui meliora reſpuunt conſilia, per negligentiam defraudare, aut piâ fraude negligere. *V.* GALENVS *de Venæſectione adverſus* ERASISTRAT. *C. VI.* STAHL *de Venæſectionis patrocinio, Sect. II. C. IV.*

§. 9.

§. 9. In tanta igitur varietate (§. 6—8.) pernecesse erit, juſtum rei ſtatuere pretium. Quem *uſum* hic intendimus exquiſitiore & ab omni partium ſtudio alienâ (§. 4.) thematis hujus (§. 3.) disquiſitione. Præterea ejusdem *utilitatem* & *dignitatem* loquitur ipſa *plethoræ frequentia* & proinde *frequens* pariter ac fœcunda in innumeris aliis producendis morbis efficacia. Sanguinem vitæ necisque eſſe ſcaturiginem ab experientia ſcitur. Plenitudinem ejus præternaturalem frequentiſſimum morbum morborumque eo ipſo frequentiſſimam non ſolùm ſed & fœcundiſſimam genitricem, infra docebimus. Quum itaque ſanitatis & longævitatis impedimentum ſit, quod maximum nobis faceſſit negotium, *plethora*, operæ profectò pretium non poterit non eſſe, in *Pathologia* illius, intimiùs eruenda, curioſiores nos gerere. Cujusvis enim morbi ſolidior *theoria* ad ſolidam nos unicè ducit illius *therapiam* & *praxin*, juxta illam inſtituendam. Quot, quæſo, quotidie occurrunt *hæmorrhagiæ*? Quot *ſanguinis congeſtiones?* Quot *molimina hæmorrhagica*, per ætatum ſtadia ad certa loca determinata? Quot inde pullulantes *ſpiſſitudines?* cacochymiæ? Quot ſpasmi? Quot alia pediſſequa mala? His omnibus infeliciter obviam ire conantur, qui lernam horum aliorumque plurimorum malorum non funditus perſpiciunt. V. FISCHERI *Diſs. de plethora multorum morborum cauſa. Erf. 1723.* KLOSII *Diſſert. de plethora ejusque præter naturam in C. H. productis effectibus. Arg. 1724.* GALENVS *de Plethora &c.* In hoc alterum ponimus *uſum, practicum* nempe, (§. 5.), ad quem hæc collineat tractatio.

§. 10. Rebus ſic ſtantibus (§. 6—9.) neminem amplius fore, ſpero, ita ſibi ſuffenum, ut, levioris momenti operam nos hic ſuſcipere, exiſtimet. Si quis autem nihilo tamen ſecius obvertat, ab aliis jamjam idem ſæpius pertractatum fuiſſe argumentum, illi regerimus *primo*, id nosmet ipſos haud latere; *deinde*, non omnes omnia rectè in hac re dixiſſe; *porro*, eos, qui rectè docuerunt, nondum dixiſſe omnia; *quarto*, inventis addere, facile quidem eſſe, ſed & expedire; *quinto*, ipſa aliorum rectè cogitata in uſus præſentes trahere, nos non

pu-

pudere; *denique*, nos hac vice ſolicitos eſſe de eo, quod non tam *novitate*, quam potius *utilitate* & *dignitate* multis ſeſe commendaret nominibus.

§. 11. Præter adducta (§. 1—10.) hujus tractationis *præcognoſcenda* ſupereſt ratio ordinis, quo in iſta ultra erit incedendum. Ab iſta enim totius pertractandi *thematis* dependet *partitio*. Illud vero conſtituit *Polyæmiæ Noſologia*. *Pathologia generatim* eſt ea eruditionis medicæ pars, quæ verſatur circa morbos cognoſcendos. *Noſtra* ergo *Pathologia*, ſpeciatim rectè *Pathologia morborum organicorum* dicenda, ea eſt noſtræ Medicinæ pars, quæ circa organicorum morborum cognitionem occupata eſt. Congruè hic latiori ſignificatu ſumitur *Pathologiæ* terminus, ut iſta diſtinguatur à *Noſologia*. Hæc enim illius eſt pars & verſatur circa ipſos morbos eorumque maxime conſtitutionem internam.

§. 12. *Pathologia* vero (§. 11.) latiùs ſe diffundit & præter *morbos* ipſos eorumque conſtitutionem internam verſatur quoque circa eorundem *cauſas*, *effectus*, *ſigna* & *pericula* præſagienda. Hiſce momentis *omnis*, tam *generalis*, quam *ſpecialis* abſolvitur *Pathologia medica* ideoque & *noſtra*. Inde præcipuæ *Pathologiæ* oriuntur *partes*, ſcilicet: a) *Noſologia medica;* b) *Ætiologia medica;* c) *Symptomatologia medica;* d) *Semiologia medica;* e) *Prognoſticologia medica*. Præterire licet harum partium ſpecialiores determinationes, partim ob finem præſentem (§. 3.), partim idcirco etiam, quia ex dictis modo fundamentis perfacile erui poſſunt atque levi operâ ſuppleri.

§. 13. Commemorata (§. 12.) *Pathologiæ capita* quandoquidem ſeparatim tractant, ſingula vero circa ſingulos morbos rectiùs & opportuniùs tractari, multa docent. Priori caſu *primo* circa ſingula momenta omnes & ſinguli recenſendi ſunt morbi, & totus eorum ſemper iterum percurrendus eſt campus. Cujusmodi repetitiones non poſſunt non eſſe invidioſæ, imò quam maxime inutiles. *Deinde* ita nimis diſſitæ ſunt circa quemlibet morbum tam arctè connexæ doctrinæ. Circa quemlibet autem ea omnia denuo ex divulſis ejusmodi tractationibus denuo colligere, pariter fruſtraneum priorem redderet

laborem. Quid igitur ſibi velint & cui uſui dicata ſint fragmenta iſta medica, *Pathologias* puto *ſtrictius* dictas, *ſemiologias* &c. equidem non video. Generales ejusmodi doctrinas, omnino ubique præmittendas, neutiquam ita reprehendo. Aſt, quod *tertium* eſt, ejusmodi tractationes, præter generalia, ſpecialia quoque immixta habent. Habent itaque reapſe in omnibus aliquid & in toto nihil, atque ita ex parte longiores ex parte breviores ſunt, quam par eſt, ſeu, ut GERMANI loquuntur: Zu kurz und zu lang.

§. 14. Ratio ordinis in dictis (§. 12.) pertractandis momentis obſervandi ſponte patet. *Methodus* veri nominis *ſyſtematica* ea ſemper præmittere jubet, quæ in ſequentibus ritè exponendis ſcitu prius ſunt neceſſaria. In omni *Pathologia* primi fundamenti locô poni debere genuinum & adæquatum morbi, de quo agitur, conceptum, nemo ibit inficias. Hôc enim non debitè præſtructô, more vulgari, tota reliqua illius *theoria*, aut nulli, aut inſtabili, ſuperſtruitur fundamento. Præmiſſis ita in morbi cujusvis aptâ *denominatione*, genuinâ *definitione*, *genere*, *ſpecie*, & ab omnibus aliis exacta *diſtinctione*, ipſius demum expendere licet *cauſas*. Harum contemplationem excipit *Effectuum*, ſeu, ut ajunt, *ſymptomatum* conſideratio. Hæc enim ex ipſis *cauſis* utplurimum unà æſtimantur. Quam vero abſonum foret de phænomeni alicujus *cauſis* & *effectibus* diſſerere, cognitô nondum nec debitè indicatô ipſo, de quo disquiritur, phænomenô? *Signa* noſtra & *diagnoſtica* & *prognoſtica* petimus partim ab ipſius *morbi conditione* in- & externa, partim ab ejus *cauſis*, partim ab ejus *ſymptomatibus*. Ex quo haud difficulter intelligitur, dictis tribus momentis pathologicis ſubjungi debere doctrinam de *diagnoſi* & *prognoſi* cujuslibet morbi debitè explanandi. Primum itaque expedit *Noſologia*, ſecundum *Ætiologia*, tertium *Symptomatologia*, quartum *Semiologia*, quintum *Prognoſticologia*.

§. 15. Nil repugnat dictis (§. 14.) ipſa *praxis medica*, ſub qua ad lectos ægrotorum quandoquidem alio ordine ad morborum cognitionem viam nobis parare debemus. Aliud enim ſuadet morbus *per individua* detegendus, aliud jamjam detecti

mor-

morbi conſideratio legitima. Prius docet *Ars heuriſtica*, circa veritates detegendas occupata, poſterius ſpectat ad *Artem didaſcalicam*, quæ circa detectas veritates communicandas verſatur.

§. 16. Quemadmodum igitur omnis *Pathologia* noſtra quinque indicatis (§. 12.) abſolvitur punctis, explicatô (§. 15.) ordine enucleandis, ita in *Pathologia* quoque Polyæmiæ rite perpendendæ primum locum occupat ipſius noſologia. Hæc vero verſatur *partim* circa genuinam morbi determinationem ejusque inde dependentem ab aliis diſtinctionem atque alia de iſto noſcenda generaliora, partim circa illius ſpecialiores differentias, unde cujusvis morbi *noſologia* alia eſt *generalior* alia *ſpecialior*. Præmittitur igitur hic quoque

Articulus I.

Polyæmiæ noſologia generalis.

§. 17. *Polyæmiæ terminus* græcæ originis à vocabulis πολὺς, multus, & αἷμα, ſanguis, derivatur. *Latè* itaque qualemcunque denotat ſanguinis copiam, *naturalem* & *præternaturalem*, ſtrictiori autem & pathologicô ſignificatu, qui hujus eſt loci (§. 3.), deſignat ſanguinis ubertatem *præternaturalem*, *h. e.* naturæ ſubjecti ſui repugnantem.

§. 18. Huic (§. 17.) oppoſitum morbum Pathologi eâdem aptitudine dicunt *anæmiam*, per hunc terminum intelligentes penuriam ſanguinis *præternaturalem*, utut, quod omnino culpandum eſt, plerumque in *Pathologiis* ſuis negligant, aut oſcitantiùs tractent hunc æque neceſſarium articulum pathologicum. Planè tamen intactum illum non reliquit Cel. Scharschmidius in *Inſtitutione* ſua *ad ſtudium medico-chirurgicum P. I. Sect. I. C. II.*

§. 19. *Polyæmiam*, indicatô ſignificatu (§. 17.) ſumtam, hodie vulgo dicunt *plethoram*, &, ſanguinis exuperantiâ *præternaturali* laborantem, *plethoricum*. Aſt *plethoræ*, græcis πληθώρα, πλῆθος dictæ, vocabulum *latiùs* patet & *primo*

vi vocis, *deinde* juxta frequentiorem loquendi uſum, non ſolum ſanguinis, ſed qualiumcunque humorum exuperantiam deſignat. Hoc confirmat CASTELLVS in Lexico medico à Brunone aucto & correcto, dicens: *plethora accipitur communiter in foro medico pro humorum omnium abundantia;* Et licet *l. c.* hæc mox ſubjungantur verba: *quamvis minus adcuratè, cum hac ratione à cacochymia non rectè poſſit diſtingui*, illa tamen nullo nituntur genuinæ *artis characteriſticæ* fundamentô. Namque rectè omnino tam *polyæmia* in *ſpecie* quam *plethora* in *genere* diſtingui poteſt à *cacochymia*, quæ neutiquam humorum & ſanguinis quantitatem ſed qualitatem potius reſpicit apteque exprimit. *Tertio polyæmia* eo ipſo apertiùs denotat ſanguinis vitium quam *plethora.* Et quoniam *quartò* à *plethora* dicitur *plethoricus*, hi vero *termini* omnium conſenſu non ſemper innuunt aliquid morboſi, atque ideo *plethoram* dividere moris ſit in *naturalem* & *præternaturalem*, nemo non videt, hunc *terminum* haud eſſe mere *pathologicum*, ſed *phyſiologico - pathologicum.* Quapropter ſaltem in *Pathologia* non obiter loqui oporteret de *plethora*, ſed de *plethora præternaturali*, eademque inſuper ſtrictiùs dicta, ſeu ſanguinis *plethora*, ut debitè diſcernatur à *plethora naturali*, quæ non ſpectat ad forum pathologicum, & à *plethora præternaturali latiùs* dicta, ut ritè diſtinguatur à plenitudine omnium humorum, quia ſine hac omninò exiſtere poteſt *ſanguinis plethora.* Minus congruè *denique* vulgo dicitur *plethoricus*, qui naturali ſanguinis plethorâ laborat. Is enim proprie audit *ſanguineus.* Cujusmodi *terminis* in *erudita cognitione* haud ita promiſcuè uti licet. *Synonymias* in iſta evitare oportet & ex *ſynonymicis terminis* uſitatiores & aptiores retinere convenit. His omnibus collectis facilè intelligere eſt, *polyæmiæ terminum*, utpote *aptiorem*, *technicum* eſſe in hoc articulo, nec de iſto figendo nos hic juſto plus ſolicitos fuiſſe, ut ii judicare aſſolent, qui obiter loqui malunt, quam ad *artis characteriſticæ* regulas res ſuas, ut deceret, agere.

§. 20. Hiſce (§.17—19.) de præſenti *definiendo* præmiſſis, perfacilis & plana eſt ejusdem *definitio*. *Polyæmia* nempe nil aliud eſt, quam ſanguinis abundantia, *h. e.* quantitas laticis hujus

hujus vitalis excedens, cui aptè opponitur *anæmia*, quæ eſt penuria ſanguinis, *h. e.* quantitas ejus deficiens. Conf. IOH. THEOD. SCHENCKII *Synopſ. Inſtit. medic. Diſput. L. V. p. II. Sect. I. Artic. III. §. 29. p. m. 276.* CEL. IOH. IVNCKERI *conſpect. pathol. Tab. V. Nro. I.* Si quis hanc noſtram de ejusmodi conceptibus adeo planis ſolicitudinem nimiam exiſtimaverit & ſupervacaneam, is ſciat, ejusmodi perſpicuitatem haud eſſe culpabilem ſed *methodo analyticæ* quam maxime convenientem, *tum* cogitet velim, cur *alii* hanc aliasque *ideas pathologicas* tam manifeſtas nihilo ſecius adeo *obſcurè* & *inadæquatè* communicent. Denique perpendat, obſecro, quot quantasque rebus pathologicis confuſiones inducant vagabundæ & erraticæ ejusmodi *morborum ideæ*, quam contra apprime faveant innumeris aberrationibus, & theoreticis, & practicis, feliciſſimè evitandis, *fixæ* exactæque eorum *denominationes* atque *determinationes*.

§. 21. *Vſum* hujus (§. 20.) adcurationis, in tractandis doctrinis noſtris nunquam leviter habendæ, in hoc ipſo articulo mox ſubjungenda docebit ejus adplicatio. Quoniam vero contraria juxta ſe poſita magis elucescunt, à re præſenti non alienum erit, hic breviter allegare potius, quam ad amusſim examinare alios quosdam quorundam aliorum de *polyæmia* conceptus. *Denominationes* enim hujus morbi minus aptas & inſtabiles atque ſynonymicas ſupra (§. 29.) ex parte jamjam annotavi. Ita PAVL AMMANNVS in *Parænesi* ſua *ad diſcentes occupata circa Inſtitutionum Medicinæ emendationem, L. II. P. I. C. IX. §. I. plethoram* dicit abundantiam ſanguinis laudabilis. Sed quis non videt minus laudabilem æque bene abundare posſe. Eodem vitiô & pluribus aliis laborat GOTHOFR. MOEBII notio, qui in *Epitom. Inſtit. med. L. II. p. II. Cap. IX. p. m. 125. plethora*, inquit, *eſt, quando ſanguis, ſeu humores alendo corpori utiles in toto corporis habitu abundant & mediocritatem excedunt variorum effectuum fabri.* Mireris ipſum *celeberrimum* BOERHAVIVM *de cognoſc. & curandis morbis §. I. not. α* eundem fovere conceptum, dicentem: *plethora eſt Copia boni ſanguinis major, quam quæ ferre poſſit eas mutationes, quæ cito inevitabiles accedunt, niſi inducantur morbi.* Taceo, poſteriora

verba inſuper minus adæquata eſſe, ex quo unà eluceſcit, quid de recentioris cujusdam Auctoris conceptu ſtatuendum ſit, quo *plethora* dicitur usque aucta ſanguinis quantitas ut actionem cordis & vaſorum, debitô quantumvis robore gaudentium, lædat. Quid? quod omnes eorum notiones qui *plethoram* obiter & ſine reſtrictione & diſtinctione *definiti* locô ponunt haud genuinæ cenſendæ ſunt, utut illam per ſanguinis abundantiam determinent. Ita enim *notio definitiva* non reſpondet *definito*. Sanguinis quidem copia eſt plethora, ſed non omnis *plethora* eſt ſanguinis copia, & *ſanguinis plethora à plethora*, *nudè dicta*, differt, ut *ſpecies à genere*. Quare rectè CELEB. DE SAUVAGES *in Pathol. methodica Sect. I. C. IV. §. 52. p. m. 104. plethora*, inquit, *eſt major fluidorum copia, quam quæ vaſis naturaliter contineri debet ad functionum exercitium.* Quem ſignificatum pariter ſuſtinet Cel. C. G. LVDWIG in *Inſtit. Pathol. C. II. Sect. II. §. 935.* dicens: *Nos vero in plethora* definienda generalem ideam abundantiæ humorum aſſumimus & inde differentias varias eruimus, cui *l. c. §. 934. & 938.* rectè opponit, κενεαγγείαν, quæ ideo ut *genus à ſpecie* differt ab ἀναιμία *V.* citata (§. 6.) *Diſſ.* de pleth. ſenum, §. 1. SCHENCKII *ſynopſ. ex* GALENO *p. 114.*

§. 22. Debitè determinatâ morbi, de quo agimus, ideâ ſine ambiguitatis impedimento ad reliqua de iſto dicenda nunc progredi licet. Prima, quæ hic movetur, quæſtio illius concernit *exiſtentiam.* In rebus altioris indaginis & abſtruſioribus Eruditos cum Eruditis ambigere eosdemque in diverſa abire, haud mirum eſt, mirabilius vero, imò quod omnem admirationem ſuperat, eorum multos multoties ſemper videre & ubique, quod non pauciores non poſſunt, vel nolunt, videre usquam aut unquam. Id infortunii Medicis quoque haud raro accidere, inficias ire non poſſumus. Inſignioris exempli locô eſt *controverſa* de *polyæmiæ exiſtentia.* De quo CHR. PÆCKEN in Diſſert. *de Cauſis & Effectibus plethoræ Witemb. 1751. habita* jure meritoque *p. 3. & 4.* ita conqueritur: *adhuc ultimum apud quosdam ignorantiæ eſt aſylum, plethoram culpare, nec quisquam fortè reperietur morbus, ab internis ortus cauſis, quem non ex*

ſan-

ſanguinis, innocente *utplurimum*, *copia deducant*, *eodem prorſus*, *quo* SYDENHAM Opuſc. omnia edit. Lipſ. 1711. p. 78. *de malignitate & ſcorbuto quæritur*, *fatô*. *Alii rurſus minus juſtum rei ſtatuentes pretium ſemper acidam*, *alcalinam*, *aliamque acredinem humorum & neſcio*, *quid aliud cauſantur*, *tum quoque*, *quum revera ſola eſt*, *quæ negotium faceſſit*, *plethora*, *imo*, *quod mirere*, *ſunt queis vel nomen plethoræ adeo inviſum*, *ut illud in doctiore Medico*, *ne tolerent quidem. Omnem videlicet nimiam purpurei laticis inficias eunt copiam.* De quibus jam ſupra (§ 6.).

§. 23. Prioris claſſis (§. 22.) Medicorum *hæmatomantia* æque ac poſteriorum (l. c.) *hæmaphobia* medelâ opus habet. Vtrumque vero malum præſervatu & curatu perquam facile eſt, maxime apud præjudicatarum opinionum expertes. Solam ubique culpare *plethoram*, aut ſaltem in alleganda hac alias leviter habere & prætervidere *morboſas* & *non morboſas* morborum *cauſas*, ſaniori non convenire *ætiologiæ medicæ*, nemo non videt. Nec multum negotii faceſſit refutatio vanæ iſtius *hypotheſeos*, qua *omnis* plethoræ exiſtentia negatur. Futiles &, ut mitius loquar, rhetoricæ potius quam eruditæ ſunt illæ perſuaſiones, quibus erroneam hanc ſententiam ſtabilire annituntur. HELMONTIO maxime duce in *L. de inaudita febrium doctrina c. 4.* ſanguinem pro eo vitæ theſauro & balſamo habent, cujus nulla ad exceſſum usque morboſum exiſtere poſſit redundantia. Inde THOMSONIVS, GEHENNA L. A. PORTIVS, TH. CRAANENIVS, PONTEKVE, OVERKAMPIVS horumque ſocii, hunc laticem in aurum & theſaurum convertendum potius, quam ſubtrahendum eſſe, facunde contendunt. Huc autem non quadrat tritum illud: ſuperflua nil nocent. Quam in Oeconomia animali, in domeſtica, illud adplicatu convenientius eſſe, rectius dixeris, ſi quidem ab iis diſceſſeris, qui mulos agunt fortunæ bonis onuſtos, & ejusmodi ſuperflua aſinini hujus laboris ſudorisque adeo patientes aliis aſportant, gramine & ſtramine interea contenti. Omne nimium & vel minimum, quod abundat, vitali naturæ inimicum eſt. Vitæ theſaurus eſto, noſtrum & quodvis aliud animale corpus irrigans ſanguineum fluentum, abundans nihilo

tamen

tamen ſecius & ultra naturalem proportionem adcumulatus onus erit perquam moleſtum & mole ſua ſæpiſſime vitales vires plane opprimens, venenum erit hic theſaurus & miſeriæ theſaurus, erit hic vitæ balſamus, in venenum mox mutatus, mortis necisque balſamus. Hem! jejuna & egena de hiſce vitæ divitiis judicia.

§. 24. Haud igitur obſtat, quod ex SCRIPTVRA accerſunt argumentum, dicentes, hac teſte, in ſanguine ſubſiſtere vitam. Ita HELMONTIVS locô citatô (§. 23.) *quia vires*, inquit, *nunquam poſſunt peccare abundantia, ne quidem* in METHVSALEM, *ita nec bonus ſanguis peccat nimietate*, *& quod vires vitales & ſanguis ſint correlata*, *& quia juxta* SCRIPTVRAM *anima*, *ſive robur vitale, eſt in ſanguine.* In ſanguine ultra debitam proportionem adcumulato vitam ſubſiſtere, iſta non habet. Eadem potius docet, id, quod ad vitam nobis datum eſt, in mortem nobis cedere poſſe, noſtrâ nempe culpâ. Fruſtra etiam hic urgent naturæ ordinatas operationes, obvertentes: DEVM & naturam nil fruſtra facere. Natura ſibi relicta omnino nil fruſtra facit, verùm ſub ingeneranda *plethora* illa haud ſibi relicta eſt, ſed *plethoricorum* gulæ vitæque otioſæ obnoxia. Nec ſub hac ipſa ipſi illata violentia fruſtra facit, quod facit, *plethoram*, inquam, haud fruſtra ſed in pœnam eorum, qui gulæ illecebris & otio indulgent, peculiari ſapientiæ conſilio, efficit & hoc onus imponit, ut meliora ſapiant &, ſi velint, addiſcant, quod hoc ſibi velit effatum: IN SVDORE FACIEI TVÆ COMEDAS PANEM TVVM, *ne ſç. ægrotes.* Hanc enim interpretationem, quam vel ipſa dictatat Philoſophia, Paraphraſtam phyſico-medicum addere & ſuis ultra corroborare principiis, quis Theologorum vertet vitio?

§. 25. Parum itaque aut nil roboris habent allata (§. 23. 24.), quibus inficias ire ſtudent *polyæmiæ exiſtentiam.* Sat firma vero & oppido manifeſta ſuppetunt argumenta, quæ illius evincunt veritatem. De ſe ipſa teſtatur *polyæmia.* Prodit eam vaſorum ſanguiferorum plenitudo in gracilioribus præſertim conſpicua. Manifeſtant eam ſpontaneæ hæmorrhagiæ naturales æque ac præternaturales eodemque utrinque tam ſucceden-

dentes quam impeditæ, aut ſuppreſſæ. Illæ enim cum levamine ſuccedunt, non ſuccedentes vero innumera alia inducunt mala. Vtrumque obſervatur circa artificiales ſanguinis evacuationes, maxime adſuetas. Sub harum neglectu multi vaſa ſua fuſô velut plumbô infarcta & univerſum corpus ita aggravatum eſſe ſentiunt, ut ſub ipſo otio de laſſitudinis moleſtia plus conquerantur quam laborioſiſſimis operibus die noctuque delaſſati & viribus ferè exhauſti. Obſervatum contra quoque eſt compertumque certò multisque vicibus, unius ſæpe venæſectionis ope detractô ſanguine omnem unà ejusmodi laſſitudinem fuiſſe ſublatam, recuperatà totius onerati corporis levitate & mirifice reſuſcitatis ante langueſcentibus ipſius viribus.

§. *26.* Hoc reſpectu CELEB. BOERHAVIVS recte dixit, quod cel. KRÜGERVS *Phys. p. III. c. I. §. 34.* repetiit, *ſanguinis* nempe *ventilationem* haud raro *optimum* eſſe *analepticum* & *cordiale*, addo: & *egregium cephalicum*, *proficuum pectorale*, *ſalubre antarthriticum*, *antipodagricum*, *anthæmorroidale*, *antifebrile*, *emmenagogum*, vel, ut paucis plura comprehendam, multis nominibus *commendabile polychreſtum*, *præſtantiſſimumque aperiens.* Adcumulatus ſanguis ſtagnat, quosvis ſecretiones laudabiles præpedit pervertique, has pervertens minus laudabiles inducit & hiscum corruptiones multiplices & innumera inducit mala, quæ irritis omnibus pharmacevticis, mixturis, pulviſculis, pilulis, eſſentiis, electuariis, aliisque hujus culinæ formulis, detractô ſanguine ſæpe ſæpius & felicius ſuperari, ab experientia ſcitur quotidiana. Quæ hic igitur alia malorum & remotionis malorum ratio, ſi non ſanguinis abundantia ejusque imminutio? Nonne inde certiſſimum habemus argumentum pro agnoſcenda *polyæmiæ* exiſtentia. Conf CEL. FRID. HOFFM. *Diſſert. de magno venæſectionis ad vitam ſanam & longam remedio.*

§. 27. Non autem effectus tantùm (§. 26.) ſed & cauſæ *polyæmiæ* certam exiſtentiæ ejus loquuntur veritatem. Ingeſtorum digeſtionem excipit chylificatio, hanc ſanguificatio. Ita quæcunque ingerimus breviori hac via in ſuccum & ſanguinem vertimus. Recte proinde de qualitate nutrimentorum dicunt: *Qualis cibus, talis chymus, qualis chymus talis chylus,*

qualis

qualis chylus talis ſanguis. Sed oſcitantius verſari videntur Pathologi circa *quantitatis* rationem. Sanguinis copia & inopia ceteris paribus quoque reſpondet ingeſtorum quantitati majori minorive. Quo plus ingeritur cibi, eo plus ingeneratur ſanguinis. Qui enim bene multumque ingerit digeritque, atque ingeſta digeſtaque in ſuccum & ſanguinem vertit, is hujus juſto uberiorem proventum non poteſt non ſibi quam celerrime aſciſcere. Id quod otioſis eo facilius accidit. GALENVS *l. de plethora C. I. f. m. 50.* ſuo jam tempore id perſpexit, plenitudinis cauſis accenſens *ſuperiorem vitam in otio copioſioribus eſculentis ac potulentis traductam & excretionum conſuetarum retentionem*. Fac igitur otioſi Titii diætam lautam ratione qualitatis eſſe exquiſitiſſimam & ad optimi ſanguinis generationem compoſitam, illa hoc reſpectu optima nihilo minus quantitatis ratione erit peſſima. Ita ſane optime vivere eſt peſſime vivere, ſed hoc non eſt medicè vivere. E. MEDICE VIVERE NON EST PESSIME VIVERE. Sed hoc in transcurſu. Mitto ſpecialiora *v. g. plethoram ſenum* concernentia de qua legi meretur Ill. BÜCHNERI jam citata (§. .) diſſertatio. Ceterum *veritas exiſtentiæ polyæmiæ* magis elucescit ex illius *ætiologia* & *ſymptomatologia*, alibi communicandis.

§. 28. Ex demonſtratis (§. 27.) una pateſcit *polyæmiæ frequentia*. Hanc non ſolum ipſius in iisdem *ſubjectis* tam facilis recidiva atque in diverſis quam plurimis obvia ac ab experientia omnibusque oculatis obſervationibus clinicis cognita docet præſentia, ſed & præſentiæ hujus indicata ratio. Quem enim fugit hodiernum vitæ genus? Nonne cuivis facile obſervare eſt, eorum qui plus ingerunt & digerunt, quam egerunt, laute, inquam, & otioſe viventium, multo plures eſſe ubique, quam qui temperantiæ regulam tenent & in hac œconomia debitos juſtosque acceptorum expenſorumque calculos ſubducunt. Quum igitur prodiga luxurioſaque atque deſidioſa vita ipſiſſima & fœcundiſſima ſit plenitudinis mater, dubitare mirarique, nemini amplius poterit ſubire, *polyæmiam* omnium microcosmicorum phænomenorum eſſe frequentiſſimum inter Literatos maxime aliosque Honoratiores. Hæc

in

in eorum gratiam dicta ſunto, *qui* huic ſanitatis obſtaculo alias & ſæpe fabuloſas morborum cauſas ſubſtituere conantur, deſpicientes & ſeſe longe inferiores eos habentes, qui veriores urgent æthiologias. Haud ſane nonnulli habent, ut putant, quo adeo vapulet STAHLII STAHLIANORVMQVE prudentiorum doctrina, qua tam ſevere urgent *polyæmiæ* rationem. Gratias ipſis potius debemus, quod fatalem hunc proteum inter nos Germanos quoque ſeveriùs prodiderint.

§. 29. Haud abs re erit hic quoque diſpicere, num & quo nomine *polyæmia* ad morbos referri debeat? Superflua hæc videri poſſet quæſtio, ni eſſent, qui de hac ejus conditione ambigue aut erronee loqui videntur. Eam vero veri nominis morbum exhibere luculenter patet ex præmiſſa (§. 20.) ejus notione. Hanc juxta illa eſt ſanguinis abundantia. Quæcunque vero abundant, illa præter naturæ ſubjecti ſui adſunt regulam ipſique non poſſunt non eſſe moleſta. *Præternaturale* id eſt, quod naturæ ſubjecti ſui non convenit. Hoc vero adhuc differt à *morboſo*. Illud nempe eſſe poteſt tam externum quam internum. *Morboſum* vero ſemper involvit ſtatum internum. *Morbus* enim eſt ſtatus præternaturalis internus naturam vivæ alicujus ſubſtantiæ in functionibus ſuis impediens. Vnde manca omnis eorum eſt *morbi* notio, qui in iſta de ſolo ejusmodi ſtatu præternaturali obiter loquuntur. Ita profecto in ſtatu præternaturali & functiones ſuas naturales impediente conſtitutus eſt qui compedibus vinctus detinetur, quis vero, illum morbo ita detentum eſſe, dixerit? Quo tamen vitiô laborant tantùm non omnes, quas hactenus communicarunt, morbi notiones. *Polyæmiam* ſtatum involvere internum, indubium eſt, illum præternaturalem eſſe & naturam corporis animati in ſuis functionibus impedientem, non gratis in ejus definitione aſſumtô ſed ex demonſtratis (§. 26.) explicatiùs intelligendô fundamentô corroboratur. *Polyæmia* igitur omnis reapſe eſt morbus, veri nominis talis. Q. E. D.

§. 30. In *polemicis* circa dijudicandas aliorum ſententias in meliorem partem interpretari omnia & fas eſſe, & mihi volupe, ſentio. Eos igitur, qui non omnem ſanguinis *plethoram*

morboſam eſſe ſtatuunt, & propterea illam in *naturalem* & *præternaturalem* dividunt, termino latiùs uti iſtosque per illam non ſanguinis, ſeu humorum in *genere*, qualemcunque inſigniorem copiam non abundantium, utpote quæ ſemper *præternaturalem* innuit *ſtatum* (§. 23.), intelligere, exiſtimo. Omnis enim *plenitudo*, dictâ amplitudine ſumtâ, omnino eſt: vel *naturalis*, vel *præternaturalis*. Verùm licet in terminis poſſimus eſſe faciles, nimis tamen faciles nos eſſe, haud decet & plebejum eſſe cenſemus. Quod Græcis *plethora*, Latinis *plenitudo*, dicitur. Plenitudo autem nondum neque ſanguinis copiam in *ſpecie* neque ejusdem copiam *præternaturalem ſpecialius* dicit. Aut igitur *definitioni* debitam termini *diſtinctionem* præmittere, aut determinatius ſaltim ad *artis characteriſticæ* regulas in foro pathologico loqui deberent ſc. de *ſanguinis plethora* eademque *præternaturali* (§. 17, 19.) Taceo uſui loquendi, quoad licet, tamen ubique obſervando, non convenire anguſtiorem ſignificatum (*l. c.*). Ejusdem notæ eſt *differentia*, quam quidam faciunt inter *plethoram* ad *juſtitiam* & *pondus*.

§. 31. Eos vero (§. 30.) excuſare neſcio, qui usque omnem *plethoram naturalem*, nullam contra *præternaturalem* eſſe, modo operte ſtatuunt, modo tectè ſtatuere videntur, vel in *definitionibus* ſuis *de plethora*, ut morbo, loquuntur, & poſtea tamen eam in *naturalem* & *præternaturalem*, dividuut, qui ita, morbum diſpeſcunt in morbum & non morbum, ſicque ſtatum hunc morbum eſſe & non eſſe dicunt, & propterea manifeſto ſane ſibi contradicunt. Cujusmodi inconſideratæ locutiones plane falſæ, quam erroneæ, intolerabiliores profecto ſunt in Eruditorum foro.

§. 32. At hæc (§. 30, 31.) aliorum in hac cauſa modeſte interpretanda effata aliis relinquo. Ita *v. g.* Ill. IVNCKERVS in *Conſpect. Pathol. Tab. V. Nro. I. plethora*, inquit, eſt *ſanguinis abundantia, debitam proportionem quæ ad quotidianum & neceſſarium vitæ uſum exquiſitè requiritur, excedens.* Quam l. c. No. II. mox dividit in *naturalem* & *præternaturalem.* Per illam vero intelligit *ſimplicem*, per hanc contra *complicatam*, ut ibidem addita id docent ſynonyma. Quare hic non tam verba

quam

quam mentem laudati AVCTORIS reſpicere debemus. Conf. EIVSDEM *Therapia ſpec. Tab. II. n. I. II. §. 33.*

§. 33. Eâdem (§. 32.) æquitate interpretanda ſunt verba CEL. KRÜGERI, quæ in *Phys. P. II. Sect. I. c. 18.* ita habent: Ein ſolcher Uberfluß des Bluts, welcher durch diejenige Veränderungen, die bey einem lebendigen Cörper ſeyn müſſen, zu einer Urſache der Krankheit werden kan, nennen wir Vollblütigkeit. Wir müſſen aber vor allen Dingen ausmachen, ob auch eine Vollblütigkeit möglich ſeye? Es iſt dieſes deſto nöthiger, je mehrere daran gezweifelt haben, und je gröſſer die Anzahl der Vorurtheilen in dieſer Materie iſt. So hat Helmont behauptet, daß die Vollblütigkeit keine Krankheit ſeye, und dieſes aus dem wichtigen Grund, weil ſie in einem Uberfluſſe des guten Bluts beſtünde, und man von einer guten Sache niemal zuviel haben könne. Allein wir haben auch die Vollblütigkeit ſelbſt nicht eigentlich für eine Krankheit zu halten, ſondern ſie iſt vielmehr eine fruchtbare Mutter unzehlicher Krankheiten zu nennen.

§. 34. Nec (§. 33.) difficilior juxta priora (§. 30, 31.) eſt interpretatio doctrinæ, quam cel. SAM. SCHARSCHMIDIVS in *Inſtit. ad ſtudium medico-chirurgicum P. I. Sect. I. C. 1. & 4.* ita propoſuit: Es kan aber auch geſchehen, daß ein Menſch mehr Blut hat, als er nach Proportion und Beſchaffenheit ſeines Cörpers haben ſollte, ſo daß dardurch die Verrichtungen des Cörpers verlezt werden, und ſolcher Ueberfluß des Bluts heißt eine Vollblütigkeit, plethora. Hieraus erhellet, daß niemals eine Vollblütigkeit anders beſchaffen ſeyn könne, als daß ſie die Verrichtungen des Cörpers verleze, und die Eintheilung der Vollblütigkeit in eine geſunde und kranke (plethora ſane & morboſa) ungereimt ſeye. Denn wenn auch ein Vollblütiger nur die Beſchwerlichkeit hätte, daß ihm, wann er ſich nur etwas bückt, der Kopf ſchweimlicht und ſchwer wird, ſo iſt doch dieſes was widernatürliches. Indeſſen iſt deswegen nicht ein jeder Vollblütiger krank, denn die Vollblütigkeit iſt nur eine entfernte Urſache der Krankheiten.

§. 35. Præmiſſis de *polyæmiæ* denominatione (§. 19.), notione (§. 20, 21.), exiſtentia (§. 22 — 27.), frequentia (§. 28.),

conditione morboſa (§. 29 — 34.), doctrinis, addenda etiam quædam ſunt de morbi hujus ab aliis *diſtinctionibus* ejusdemque in præcipuas ſuas *ſpecies diviſionibus.* Neque enim has neque illas in *doctrinis pathologicis* ullibi negligendas eſſe, nemo non intelligit, qui de ſolidiori mormorborum cognitione unquam fuit ſolicitus. Ita namque non modo ad exquiſitiorem eorum theoriam, ſed & ad feliciorem circa iſtos occupationem practicam nobis paramus *viam.* Expedit profecto quemvis nobis oblatum morbum & ab omnibus aliis diſtinguere, &, quoad licet, in ſua ſpecie debitè conſiderare. Quælibet enim morborum *ſpecies* ſpecialem poſtulat medendi methodum, & hanc adplicare omnino præſtat, quam ſoli generali inhærere. *Pigrorum* enim *Medicinam* dicendam eſſe judico, in qua certis morborum claſſibus certas dicant *methodos polychreſtas*, nec ultra iſtas ſapiunt unquam.

§. 36. Quemadmodum vero *dividenda* & *diſtinguenda* vulgo non diſtinguuntur, ita vix ac ne vix quidem deprehendes rerum medicarum ſcrutatores, quos, ut deceret, diſtinguere videas morborum *diſtinctiones* & *diviſiones.* Modo enim *diſtinguunt* morbos *dividendos*, modo *dividunt diſtinguendos*, ſicque multiplici confuſione de eorum *differentiis* promiſcuè loquuntur. Idem ipſis in præſenti de polyæmia articulo contingere, ex mox dicendis patebit. *Diverſa* ſunt, in quorum uno eſt aliquid, quod non eſt in altero. *Diſtincta* autem, quorum utrumque plane eſt aliud, ac alterum. *Diverſa* igitur & *diſtincta* probe ab invicem in *erudita cognitione* eſſe diſtinguenda, alibi, ſi rectè memini, jam monui, nil ſolicitus de vaniloquo potius, quam doctiloquo, eorum obloquio, qui vitii hujus & ſimilium inſcii expertesque analytici artificii moleſtas ſibi ſentiunt ejusmodi adcurationes, vel plane contemnunt, pariter, ſed rectius, iterum contemnendi.

§. 37. *Polyæmiæ* quod attinet *diſtinctiones* ex his illa hic maxime annotanda eſt, quam cum illius diviſionibus plerumque confundunt (§. 36.). Pro *ſpecie polyæmiæ* nempe eum habent ſtatum morboſum, qui ipſam quandoquidem ſimulat ſanguinis reduntantiam ipſisque dicitur *plethora ſpuria.* Ita

vero

vero *polyæmiam* dividunt in ipſam *polyæmiam* & *polyæmiam*, quæ non eſt *polyæmia*. Quis non videt ad contradictionis usque ſcandalum, abſonas eſſe ejusmodi doctrinas hic tamen, ut alibi & extra forum quoque noſtrum, adeo ſolemnes & quaſi re bene geſtâ cum adplauſu adoptatas nec per luſtra illuſtria tantùm, ſed per integra quandoquidem ſecula ab uno propagatæ ad alium communitatis ſuæ ſocium.

§. 38. Idem peccant (§. 37.) haud leviori crimine, qui *plethoram*, ut morbum, definiunt & poſtea tamen eam in *naturalem* & *præternaturalem* dividunt (§. 31. 34.). Utut vero hæc *diviſio* ita non modo ſit *erronea*, ſed plane *falſa*, *vera* tamen & *legitima eſt diſtinctio plethoræ ſanguinis præternaturalis*, ſeu *polyæmiæ* à *plethora* tam in *genere*, quatenus nempe humorum dicit plenitudinem qualemcunque (§. 19.), quam à *plethora* in *ſpecie h. e.* ab hac illave plenitudine humorum, v. g. bilis, ſeminis, fluidi nervei &c.

§. 39. Ita quoque *polyæmia vera* recte diſtinguitur à *ſpuria*. Hæc reapſe non eſt polyæmia & illam ſine ſanguinis abundantia, aliis modis æmulans, tantùm adeſſe videtur, quod ipſa illius innuit *denominatio*, quodque cuivis obvium, qui Eruditionem ſpuriam non pro ipſa eruditione, hujusve *ſpecie*, habet. Ita *v. g.* ſanguis valde rarefactus & æque ac abundans majus occupans ſpatium atque vaſa diſtendans, *ſpuria* eſt *polyæmia*, h. e. quæ talis eſſe tantùm videtur.

§. 40. Ejusmodi (§. 39.) morborum ſimulacra omnino in *doctrina* & *praxi medica* à veris probe internoſcenda ſunt, ne inoffensô ſanitatis hoſte, quod ſanitati vitæque non inimicum eſt, cum ſummo ægrorum damno pro tali habeamus ſicque, quod facile contingere poſſet, quæ ad vitam & ſanitatem data ſunt, demere & unà cum vita removere, tentemus. Rem exemplô *polyæmiæ*, de qua agimus, illuſtrare hîc convenit. Pone *Sempronium* inopiâ potius, quam copiâ, ſanguinis laborare ejusdemque humores calore febrili orgaſticô expandi. Accedit TITIUS, Medicus ipſius imprudens, videt vaſa turgida, faciem rutilam, urinam flammeam, tangit carpum, ſentit in eo pulſum plenum, magnum; mox accuſat *plethorum*,

ram, celerius accerſit Chirurgum, ſecare jubet venam, non ſubſidente orgaſmô iteratis vicibus eam repetere, præcipit. Nil cogitans de calore expandente, de pulviſculo temperante &c. Hem! infelicem praxin. Hem! infeliciores ægros, ſi vel feliciſſimus fuerit ipſe hujus commatis Practicus, ob autoritatis præjudicium. Tam utiles tam neceſſariæ ſunt morborum diſtinctiones in libris & ad lectos ægrotorum. (§. 35.).

§. 41. Nonnulli quidem eam ſolam *polyæmiam ſpuriam* agnoſcunt, ubi ſanguinis orgaſmus mentitur veram (§. 40.) ut vel ipſam inde ejus *definitionem* petant, ut v. g. Fr. de Sauvages in *Patholog. methodica* §. 52. dicens: *utraque* (ſc. de quibus loquitur, *evchyma* & *cacochyma*) *eſt vera, in qua ſanguis denſitatem ſolitam obtinet & apparens, quæ a ſanguine rarefacto, minus denſo pendet.* Verùm ſunt & aliæ *polyæmiæ ſpuriæ.* Ita ſanguis ſine maſſæ ſuæ abundantia abundare videri *poteſt v. g.* ſub ſpaſtica contractione vaſorum vehendo ſanguini, non abundanti, renitentium, ſub eorum obſtructione, anguſtia connata, ſub ipſius ſanguinis ſpiſſitudine, ſub vaſorum debilitatione &c.

§. 42. Quapropter (§. 41.) cel. J. G. Krügerus *in Phyſ. P. III. Sect. I. c. 18. §. 182.* pro ſolemni ipſi perſpicacia rectè huc retulit *polyæmiam*, quæ eſt *ad Vires.* Verba ipſius hæc ſunt: Man hat jederzeit die Vollblütigkeit in Anſehung der Gefäſſe, und in Anſehung der Kräfte voneinander unterſchieden. Und dieſer Unterſchied hat ſeinen guten Grund. Man verſteht nemlich durch die Vollblütigkeit der Gefäſſe, eine ſolche Anfüllung derſelben mit Blut, wordurch ſie dergeſtalt ausgedehnet werden, daß die zum Leben und der Geſundheit nöthige Veränderungen nicht gehörig von ſtatten gehen können. Hingegen bey der Vollblütigkeit in Anſehung der Kräfte, wird nicht allzeit erfordert, daß die Blutgefäſſe ſtark ausgedehnt ſind, ſondern es iſt genug, wann der Widerſtand des Bluts in Anſehung der ſchwachen Kräfte, der feſten Theile zu groß iſt. Hieraus folget, daß man ohne zu viel Blut zu haben vollblütig ſeyn könne. Quæ poſteriora Verba cum grano ſalis, *dialectici* nempe, doctam laudati Auctoris eloquentiam condientis, accipienda ſunt.

Extra

Extra enim *dialecticum* liberius & profluentius dicendi genus *technico* inter nos loquendi uſui repugnaret dicere: *plethoricum* ſine *plethora* poſſe exiſtere. Quoniam ita ſaltem implicaretur ambiguitas, quam ſola admittit *dialectica*, reſpuit contra omnis *analytico-ſyſtematica methodus*. Vid. *Diſſert. Tripes Haiterbacenſis §. 82, 83.*

§. 43. Gravioris momenti hîc ſubit dubitatio, contra aſſertas (§. 41, 42.) *polyæmiæ ſpuriæ ſpecies* forte movenda. Objici poſſet, eam ſaltem, quam ſanguinis turgeſcentia ſimularet (§. 40.), æque ac *polyæmiam* ad *vires* præter alias ſæpiſſimè quoque indicare ſanguinis imminutionem, imminuendum vero ſanguinem reapſe abundare atque eapropter ejusmodi *polyæmias* non eſſe *ſpurias*, ſed *veras*. Atat facilis eſt reſponſio. Sanguis ſub dictis conditionibus reapſe non abundans ſui imminutionem poſtulat, non quia abundat, ſed quia in debita quantitate præſens reliquam impediret medelam. Juſta igitur imminuitur ejus quantitas atque ita aliquid morboſi infertur, ut ſanitati feliciùs conſulatur. *Minora mala admittenda eſſe, ut evitentur majora,* vetus jam habet *Canon.* Num, quemve is habeat valorem *moralem*, morum Doctoribus dijudicandum relinquo. Circa res *phyſicas* illum applicari poſſe & obſervari debere, haud ambigitur. Hôc jure in noſtro foro phyſico-medico minora mala vel toleramus, vel planè inducimus, ut tollamus & evitemus majora. Quid multa? MORBOS MORBIS CVRAMVS PLERVMQVE, ET IVRE, ET SALVTARITER.

§. 44. Ceterum articulus de *plethora*, quam eſſe dicunt, vel *ad vaſa*, vel *ad vires*, multas magnasque excitavit *controverſias*, nec res hodienum omnibus vacat ambiguitatibus, facile ceſſuris, ſi modo verba non, ut ajunt, valerent ut nummi. Quidam videre nolunt, vel nequeunt, qui detur *plethora ad vires*, contradiſtincta *plethoræ*, quæ eſt *ad vaſa*, quoniam omnis *plethora*, quæ *ad vaſa* talis eſſet, ſimul etiam eſſet *ad vires* & contra, ut loquitur PAVL. AMMANNVS *in parænesi ad diſcentes L. II. P. I. C. IX. p.m. 134.* Sed ita ſentientes non intelligunt *plethoram ad vires* non eſſe *veram plethoram*,

 ideo-

ideoque etiam non eſſe *plethoram ad vaſa*, licet omnis *plethora ad vaſa*, ſeu rectius loquendo *plethora vera*, ſemper etiam ſit *plethora ad vires*.

§. 45. *Alii* (§. 44.) *plethoram ad vires* quidem admittentes, vel quid per illam intelligant, ipſimet neſciunt, ſaltim non dicunt, vel plane erroneum fovent conceptum, nunc hôc nunc alio modô eam determinantes, & plerumque pro *ſpecie veræ* eam habentes, à qua eam potius *diſtinguere* deberent (§.37.). Cui volupe eſt, plura de hac lite ſcire, evolvat Mich. Ettmüll. Oper. Tom. I. fol. m. 19. Tom. II. fol. 1608. I. I. Franc. Vicar. *Bas. unio-Medicin. L. II. c. 2. p. 154.* Ioh. Freind *Emenolog.* C. III. p. 13. *ſeqq.* Ioh. Langii *Prax. gen. Oper. Tom. I. p. 734. 7. 11. fol. 48.* Frid. Hoffm. *Medic. rat. ſyſtem. T. II. c. 8. p. 441.*

§. 46. Præter *polyæmiæ* dicta (§. 37—42.) ab aliis cum iſta facile confundendis morbis *diſcrimina*, ea addi merentur, quibus iſta differt à *plethora ſanguinis naturali*, ſeu *polyæmia naturali*, verbo: *ſanguinolentia; à ſanguinis congeſtione;* ab *oppletione ſanguinea.* *Polyæmia latius* dicta ſub ſe comprehendit & *naturalem* & *præternaturalem* ſanguinis exuperantiam, licet minus uſitate tantâ ſumatur amplitudine. Ceterum *neceſſaria* eſt *diſtinctio ſanguinolentiæ naturalis* à *præternaturali*, ne *ſanguineos naturales* ſicque ſanos confundamus cum *morboſis* &c. *Sanguinis congeſtio* & *oppletio* ab hoc fluento inducta, alios innuunt morbos. *Congeſtio ſubjectivè* ſumta, non *materiæ* ſed *motuum* morbus eſt (§. 1, 2.). *Objective* vero ſumta in *relatione* ad *activam congeſtionem* dicitur. *Oppletio*, ſanguinea quidem abundantiam involvit, ſed *relativè*, ad vaſa nempe relata, dicitur. Hæc inſuper non ſemper involvit inſigniorem ſanguinis copiam, ſed & ſine iſta à ſola ejus expanſione, *orgasmum* vocant, dependere poteſt.

§. *Polyæmiam* denique (§. 37—46.) ab illa diſtinguere decet plenitudine, quam Veteres πλυσμνὴν vocitarunt. Per hanc enim juxta Hippocratem L. IV. De Rat. Vict. Sect. III. f. 41. neque humorum in *genere*, neque ſanguinis in *ſpecie*, ſed *proprie* ciborum bene nutrientium abundantiam & ſacietatem-

tem-

tem indigitarunt. Conf. Ill. Ioh. Iunckeri *Conſpect. Pathol. Tab. V. N. III. S.* Verùm de polyæmiæ diſtinctionibus (§. 37—47.) ſatis, de ejus diviſionibus, ab iſtis diſcernendis (§. 36.), & in accuratiori cujusvis morbi æque neceſſariis (§. 35.). Hæ vero in ſpecialiori noſologia expendendæ ſunt. Sequitur igitur (§. 16.):

Articulus II.

Polyæmiæ noſologia ſpecialior.

§. 48. Præcipuas hic (§. 47.) tantùm annotabimus *polyæmiæ ſpecies*, ab aliis fonre non ubique ſatis diſtinctè annotatas, aut quandoquidem plane neglectas. Circa *diviſionum fallacias* evitandas incurioſiùs verſari quàm plurimos majoris nominis ſcriptores, ſcripta eorum curioſius legendo examinandoque millenis modis deprehendo, deprehendet quilibet. Animum ad iſtas intimius advertentes unà obſervabimus facile, veritati propagandæ graviſſimum ita opponi obicem ex una, ex altera vero, parte januam pandi innumeris ab iſta aberrationibus longe latiſſimeque patentem. Quis igitur, obſecro, veritatis cupidus hujus *ſortis fallacias* æquiori judiciô non retulerit ad ignobilioris notæ Literatorum vitia, ſeriò repudianda. Sicubi vero in alio quovis, in medico ſane præcipue quoque, foro hac opus eſt ſolicitudine circa morborum ſpeciales differentias ſine fallacia, in miſerorum ægrorum damna certiſſime cedente, dignoſcendas. Quod nemo non affirmaverit, cui ſcientiam & conſcientiam Medico condignam ex æquo æſtimare, datum eſt.

§. 49. Ratio poſtulati (§. 48.) in promptu eſt. Parum eſt in *pathologia generali* obiter tractare res medicas & ſuperficietenus peragrare. Profundiùs & per *ſpecies* eundo rimari decet morbos nobis concreditos. *Genera* ſub ſe comprehendunt *ſpecies*, *ſpecies* infra ſe habent *ſingularia*. *Generibus* eorum itaque inhærentes longe remotiores ſumus à praxi circa ſingulares morbos inſtituenda (§. 35.). En! neceſſitatem, quæ nobis incumbit, morbos in *pathologiis* noſtris exquiſitius, per

ſuas diſcernere *ſpecies. In ipſa* praxi per individua *usque explorare jubemur morborum diſcrimina. Hoc opus, hic labor, qui ſane noſtros,* BONE DEVS! *conatus, male quidem ex noſtra quandoquidem, bene vero ſine noſtra eludit culpa. Nil ideo magis neceſſarium, nil muniis noſtris rite obeundis dextreque exequendis convenientius, quam velle, quæ poſſumus, & poſſe, quæ debemus, nec velle, quæ, vel non poſſumus, vel poſſe non debemus.*

§. 50. Hæc (§. 48—49.) *analyſeos pathologicæ* neceſſitas, hac quoque vice nos non premit, excitat potius ad debitè evolvendas *ſpecialiores polyæmiæ varietates.* Primarium *diviſionis fundamentum* ſuppeditat illius cum aliis morbis concurſus. Hujus vero reſpectu nequaquam, ut vulgaris habet doctrina, eam dividere licet in *ſimplicem* & *complicatam.* Demonſtratio hujus erroris facilis eſt. *Primo ſimplex morbus* adcuratè non opponitur *complicato,* ſed *compoſito,* qui ab iſto omninò diſcrepat. *Complicato* oppoſitus *ſolitarius* eſt & rectius vocatur. Ita evitatur, quæ admodum facilis hic foret, confuſio, ubi *ſimplex,* vulgari more, modò *compoſito,* modò *complicato,* opponitur.

§. 51. *Simplex* nempe (§. 50.) is eſt, qui ex ſe unicè conſtat, *compoſitus,* qui ex aliis conflatur. A *ſimplici* diſtinguendus eſt *ſolitarius* & à *compoſito complicatus,* quia *ſolitarius* æque ac *complicatus,* & *ſimplex* eſſe poteſt, & *compoſitus.* Nam *ſolitarius* eſt, qui ſine, & *concurrens,* qui cum alio, in eodem occurrit ſubjecto. *Poſterioris* demum *ſpecies* eſt *complicatus.* Vnde *morbum ſimplicem* eo magis erronee plerumque opponunt *complicato, inferiorem* cum *ſuperiori* confundentes *ſpecie.* Qui cum alio exiſtit morbus, aut ſeparatim coëxiſtit, aut cum concurrente confluit. Ex quo *concurrens* rectè ſubdividitur: a.) in ſeparatum, *ſeparatim coëxiſtentem* & *complicatum* ſeu *unitum. Prior* igitur dicendus eſt morbus concurrens, qui ſine mutuo implexu cum alio coëxîſtit, *poſterior* autem vocatur morbus concurrens, qui cum alio in mutuo eſt nexu. *Complicatus* eſt: vel *ſymptomaticus,* vel *alius ordinis.* Plus igitur unâ vice jam erronea eſt dicta diviſio, ſi vel daretur alia, quam *ſimplex, polyæmia.*

§. 52. Verum enimvero omnis *polyæmia* eſt *ſimplex* & nulla non *complicata.* Nam *polyæmia* eſt præternaturalis uber-

tas

tas laticis ſanguinei (§. 20.). Ideoque nullum alium, neque *materiæ*, neque *motuum morbum* (§. 1, 2.), involvit. Morbus vero, qui ex ſe unicè conſtat, nec plurium involvit complexum *ſimplex* vocatur (§. 51.). Quapropter omnis *polyæmia eſt morbus ſimplex*. Deinde nulla eſt polyæmia quæ non conjunctos habeat conſtantes morbos *ſymptomaticos*, v. gr. diſtentionem, opplerionem *vaſorum morboſam*, qui morbi ſane cum ipſa ſunt in nexu ideoque complicati (§. 1.). Nulla igitur porro datur polyæmia, quæ non ſit complicata.

§. 53. Præter expunctas (§. 50 - 52.), aliæ circa hanc *diviſionem* obſervantur idearum confuſiones. *Synoymice* nempe loquuntur de *polyæmia ſimplici*, *pura*, *naturali*, *& huic promiſcuè opponunt compoſitam*, *impuram*, *præternaturalem*, *cacochymicam*, *ſpuriam*. Verum *ſimplex* ſoli *compoſitæ*, *pura impuræ* ſeu *cachymicæ*, *naturalis*, *præternaturali*, opponuntur nec dictarum aliis. *Pura v. g.* opponi nequit *complicatæ*, quoniam illa hujus eſt *ſpecies*. Quando enim v. g. *purus* quidem ſed *orgaſticè commotus ſanguis* abundat, revera adeſt *polyæmia complicata*, ſcilicet cum orgaſmo ſanguinis. *Spuria* nequaquam eſt *ſpecies polyæmiæ* (§. 37.). Quare dictô modô confunditur *ſpuria* cum *vera*. Taceo reliquas horum errorum implicationes.

§. 54. Eo usque (§. 50 — 53.) ab eruditæ cognitionis indole abludit vulgata *polyæmiæ diviſio* in *ſimplicem* & *complicatam*, quæ nihilo tamen ſecius tot ne quidem dubia hactenus viſa eſt Auctoribus & quaſi re bene geſtâ ab uno ad alium tranlata. Quam vero frequens credula ejusmodi eſt oſcitantia! Ecquid, amabo, ſolemnius eſt hôc ſolidioris cognitionis, vel neglectu, vel plane contemtu, quo ejusmodi doctrinæ, modò erroneæ, modò usque falſæ, ruditer ſemel receptæ & adoptatæ, vel per traducem ab uno ad alium propagantur Auctorem atque ex uno in alium tranſcribuntur librum. Si quis forſan putaverit levioris momenti eſſe, quod demonſtravimus præſentis doctrinæ vitium, levioris momenti velim diſcat exemplô meliora ſapere, ne in gravioris momenti rebus ſimili impingat modô. Equidem vero haud exiſtimaverim, adeo leviter habendas qualescunque *morborum confuſiones*, utpote quæ

per ipſam ſeſe diffundunt *praxin* noſtram, ideoque non poſſunt non cedere in eorum damna, quorum ſalus nobis concredita eſt. Ex hoc itaque capite nemo vituperabit, aut pro ſuperfluo habebit, nos adeo ſolicitos eſſe de figendis morborum conceptibus determinandisque eorum diverſitatibus.

§. 55. Quamvis autem *polyæmia* non poſſit dividi in *ſimplicem* & *compoſitam*, quia omnis eſt *ſimplex*, neque in *ſolitariam* & *complicatam*, quia nulla non eſt *complicata* (§. 52.), à morbis tamen, quibuscum iſta complicatur, in diverſas diſpeſci poteſt *ſpecies*. Dubitari quidem poſſet, ab hac illius varietate dependere illius ſpecies, quum ſic tot *polyæmiæ* conſtitui deberent *ſpecies*, quot cum illa concurrere poſſunt morbi. Haud quidem omnes, regero, cum hoc iſtove *concurrentes* morbi *ſpeciales* faciunt *differentias*; ſed ii tantùm, qui mutuô coincidunt influxu. Sine hac concurrens conſpiratione nullam infert ejusmodi varietatem. *Complicatus* (§. 50.) vero omnino mutat *ſpeciem*. Morbus enim quilibet ab influxu alterius coincidentis non poteſt non aliam & à ſe ipſo diverſam induere indolem.

§. 56. Idem igitur (§. 55.) *polyæmiæ* quoque accidit. Separatim cum illa concurrens, nil quidem mutat ejus conditionem, mutat vero eam *complicatus* morbus. *Polyæmia* licet in ſe ſemper ſit ſanguinis exuperantia præternaturalis (§. 20.) diverſa tamen eſſe poteſt pro diverſo ſuo, ſub quo conſtituta eſt ſtatu, ſaltim accidentali, à quo etiam dependent diverſæ ejus ſpecies. Ceterum, ut, ob arctiſſimum omnium in corpore animali partium vinculum, circa omnes, ita circa ſanguinis præcipue ſtatus præternaturales & propterea quoque ſub *polyæmia* concurrentes *morbi* non *complicati* longe rariores ſunt, quam *complicati*.

§ 57. *Morborum* quidem coincidentium *implexus* (§. 56.) *individuales* ad ipſorum ægrotorum lectos demum explorare & providentiori indagine rimari atque dignoſcere jubet inculcatque ſolidior *praxis* noſtra. *Speciales* tamen eorum *complicationes* ut evolvamus ſolicitius atque operoſius, ac vulgo fieri aſſolet, in *Pathologiis* noſtris, multa ſuadent, alibi urgenda &

cuivis

cuivis ſponte manifeſta, argumenta graviſſima, præter iſta generaliora (§. 35.).

§. 58. In viam (§. 55.) revertamur. *Polyæmiæ*, ab ipſius cum aliis morbis complicatione petendæ & hic inſerendæ (§. 47.) *ſpecies* variæ ſunt, pro varietate nempe morborum, quibuscum, non exceptis, quorum ipſamet eſt genetrix, complicari poteſt. Totidem idcirco ejus dantur *ſpecies* quot ejus eſſe poſſunt morbi complices ipſi nativi æque ac peregrinæ proſapiæ alii. Multiplices hos eſſe poſſe & actutum eſſe ſcientia docet & experientia medica. Omnes vero inde dependentes *polyæmiæ* varietates hîc enumerare, neque præſentis operis finis exigit, neque res ipſa poſtulat. Morbi enim omnes cum omnibus ferè aliis implicari poſſunt, non in iisdem quidem, ſed in diverſis tamen ſubjectis & diverſis temporibus.

§. 59. Prudentiâ itaque (§. 58.) opus eſt circa determinandos in pathologiis noſtris tot morborum implexus, quandoquidem inſuper innumerabiles. Præcipuas implicationum *ſpecies* notatu utiliores, digniores, indicare decet. Mittendæ ſunt, ſuâ evidentiâ nemini non obviæ & in *doctrina* æque ac *praxi* facile ſupplendæ. Ita cavendum eſt, ne hac in re vel nimii ſimus, vel ſolitô more juſto oſcitantiores nos geramus. His proinde in præſenti pariter doctrina circumſcripti limitibus in eo erimus ipſimet, ne in alterutrum delabamur extremum.

§. 60. Conſpirantes cum *polyæmia*, qui hanc ſemper reddunt *complicatam* (§. 52.), morbi in *praxi* per omnes ſuas *ſpecies* & ſine exceptione ubique ſingulatim, in *doctrina* vero *generatim*, & quoad præcipuas *ſpecies* dignoſcendi (§. 49.) tam in *fluidis*, quam in *ſolidis*, pariter ac utrinque, tam quoad *quantitatis*, quam quoad *qualitatis*, vitia occurrentes ſunt: Vel *morbi motuum*, vel *morbi materiæ* (§. 1, 2.). Ex prioris claſſis morbis præcipue hic annotari merentur ipſius *ſanguinis præternaturales motus*. Binæ vero ſunt conditiones in omni motu conſiderandæ, *celeritas* nempe & *directio*. *Sanguinis* igitur *motus* peccare poteſt utroque modo, ſcil. *directione* æque ac *celeritate*, &

quoad

quoad hanc iſte non ſolum *juſto concitatior* verùm etiam *juſto languidior* eſſe poteſt aſſoletque.

§. 61. Quapropter juxta hoc (§. 60.) varietatis fundamentum *polyæmia* rectè dividitur : a) in *lentam*, b) *commotam* & c) *deviam*. *Polyæmia lenta* ea eſt polyæmia, quæ cum motu ſanguinis juſto languidiori, h. e. celeritate ejus infra naturalis celeritatis gradum imminuta, *commota* vero, quæ cum motu ſanguinis juſto concitatiori, h. e. celeritate ejus ſupra celeritatis naturalis gradum auctâ & *devia* denique, quæ cum motu ſanguinis quoad directionem peccante, complicatæ ſunt.

§. 62. *Motus ſanguinis*, eſt: vel *externus*, vel *internus*. Priorem plerumque dicunt *progreſſivum*. Latiſſimè autem ſumtô hôc terminô, revera *omnis motus* eſt *progreſſivus*, & vel ipſe adeo *inteſtinus*. *Strictius* loquendo *progreſſivus* rectius opponitur *retrogrado*. Haud igitur convenit *ſtrictiſſimus* hujus termini ſignificatus, quo *progreſſivus* & *externus motus* ſynonymice ponuntur. *Externus* enim & aptius & intelligentius opponitur *interno*, ſeu *inteſtino*. Vtrumque motum involvo in præmiſſa (§. 61.) trimembri *polyæmiæ* diviſione. Namque non ſolum, ut ajunt, *progreſſivus* ſed etiam *inteſtinus ſanguinis motus*, tam *directione*, quam *celeritate*, hujusque modò exceſſu modò defectu peccare poteſt. Vnde aut errare, aut non, ut decet, adcurate ſatis loqui, cenſentur, qui, ubi de *polyæmia commota* loquuntur, ſolum *motum progreſſivum* ſanguinis ob oculos habent.

§. 63. Vt vero hæc (§. 62.) magis perſpicua reddantur, ſequentia annotanda ſunt. *Motus*, ut *vulgaris* habet *definitio*, eſt mutatio loci. *Genuina* hæc eſt *notio*, ſed *imperfectior*, utpote à conſecutivo deſumta. *Perfectiorem* eſſe exiſtimo, qua is dicitur tranſitus ſubſtantiæ ab uno ad alium locum. In omni itaque motu omnino mutatur locus. Cogitate hic pono ſubſtantiam in genere quæ enim de infinitæ ſubſtantiæ immutabilitate & immobilitate hic diſputari ſolent, definitioni ſine demonſtratione non immiſcenda ſunt & alibi demonſtrantur. *Quidam* latius ſumunt hunc *terminum motumque* dicunt modum, quo Ens actuat, ſeu alii dat exiſtentiam. Hi poſtea dividunt *motum* in

localem

localem & *non localem*, ad quem poſteriorem referunt *mentis* quoque *mutationes*, *cogitationes*, *volitiones* &c. atque hôc modô *motum* pro *principio* habent omnis *mutationis*. Vid. STAEHLERI *diſſert. de exiſtentia* DEI *atque creatione ex nihilo ex contingentia in mundo*, *totius mundi atque elementorum indole demonſtrata* §. 130 640 — 646. Præſertim laudatus AVCTOR l. c. §. 633. admodum profunde demonſtrare annititur dari *motum*, qui non eſt motus *localis*.

§. 64. Sed (§. 63.) *primo* non tanti momenti mihi eſſe videtur hæc controverſia, ut tam anxia opus fuiſſet demonſtratione. Nam poſitâ ita (§. 61.) *termini* hujus amplitudine, qua quemvis comprehendit modum, quo quid actuat, facile eſt intelligere, ejus *ſignificatum* non ſolum ad loci ſed & ad alias quasvis mutationes usque extendi. Poſitô autem anguſtiori ſignificatu ſponte iterum patet, nnllum alium præter *localem* admitti poſſe *motum*, atque idcirco hôc ſenſu CARTESIVM, contra quem *l. c.* §. 636. pugnatur, in *principiis Philoſophiæ P. II. art. 24.* recte dixiſſe, *nullum alium motum niſi localem ſub cogitationem cadere*. *Præterea* nullam hic video neceſſitatem, tantùm diſcedendi ab *uſu loquendi* recepto, qui *ſtrictiorem* inculcat ſignificatum, & *denique* ſub latiori *motus* facile confunditur cum *actione* & *operatione*. *vid. diſſert. cit. §. 640.*

§. 65. A *motu* itaque (§. 64.) pendet *mutatio loci*. *Mutatio* eſt modus entis quam, quem aliâ vice habuit, alius, *ſeu:* qui hâc ipſi ineſt vice nec inerat alterâ. *Locus* eſt ſpatium ad entis in hoc exiſtentiam relatus: *ſpatium* eſt extenſum imaginarium in quo quid exiſtere poteſt, ſive aliquid exiſtat, ſive nil in eo exiſtat. Vnde perſpicua eſt *Vacui notio*, quod nil aliud eſt, quam ſpatium, quatenus in illo nullum exiſtit reale ens. Huc redeunt, quæ profundus Theologus atque Metaphyſicus C. A. CRVSIVS *in Metaphyſica* ſua, quam inſcribit: Entwurf der nothwendigen Vernunft-Wahrheiten, wiefern ſie den Zufälligen entgegen geſezt werden, *Ontol. C. IV.* §. 48. de ſpatio habet dicens: Der Raum iſt dem erſten Begrif nach nichts anders, als dasjenige, darinnen wir denken, daß die Subſtanzen ſind, und welches in Gedanken übrig bleibt, wenn wir dieſelben davon abſtrahiren, welches ſich auch zu allen Subſtanzen, welche darein kommen, gleich-

gleichgültig verhält. *Spatium* igitur ex parte juſto anguſtius, ex parte contrà juſto latius determinatur per extenſum, in quo ea, quæ actu ſunt diſtincta, ſibi mutuo coëxiſtunt. Vid. citata (§. 63.) *Diſſertatio* §. 113. & ejusdem *Exam. metaph.* WOLFF. P. I. §. 22. *ſeqq.* Nam vi *generis proximi ſpatium* dicendum eſt *extenſum imaginarium*, deinde *notio* ejus non, ut putant, involvit præciſè cöeſtiſtentia. Ad ſolitarie exiſtentem ſubſtantiam, quæ ipſi ineſt, vel ineſſe poteſt, illius quoque refertur conceptus.

§. 66. Conſimilem (§. 65.) errorem errare videntur in vulgari *loci definitione*, qua illum determinant per *ſpatii partem*, aut *punctum*, quo reale terminaretur. Vid. modò citata *diſſert.* §. 117. *Loci* enim ideam jam habemus, ubi *ſpatium* in relatione ad quamcunque in illo realium exiſtentiam cogitamus, ſive unicam tantùm ſive plures in iſto ſubſtantias exiſtere concipiamus. Pone τὸ A exiſtere in *ſpatio*, & concipere poteris *locum* τȢ A, ſeu *ſpatium*, cui ineſt τὸ A, nec tamen opus habebis cogitare locum illius, ut partem *ſpatii*. Neque exſpirabit *notio loci*, ſi *infinitum* usque *ſpatium* cogitaveris vel ab unica ſubſtantia repletum. Ex quo intelligitur datæ *definitionis loci* (§. 65.) prærogativa, ipſi non deneganda, quæ inſuper ſuum quoque habet uſum in multis aliis diſquiſitionibus *v. g.* de *maſſà* hujus *mundi ſimilari* atque *uniformi*, de *extenſo infinito*, de *Eleaticæ ſcholæ doctrinis*, cujus princeps fuit XENOPHANTES, qui cum PARMENIDE aliisque ſtatuit, *omnia eſſe unum*, & *ſi hoc non eſſet*, *nil eſſe.*

§. 67. Ceteroquin locum dividunt: a) in *abſolutum* & *relativum*, vid. cel. CRUSII citata (§. 65.) *Ontologia C. IV.* §. 52. *Locus* vero *relativus* revera nil aliud eſt, quam quod technicè & uſitatè dicimus *ſitum*, qui itaque non differt à *loco relativo*. Quare *locus abſolutus* dicendus eſt locus per ſe conſideratus, ut *locus amplus*, quatenus nempe hæc ejus *quantitas abſoluta h. e.* ex ſe ipſa menſurata concipitur. *Situs* vero, eſt locus ad alium locum relatus. Quum igitur *ſpatium*, collata inter loca medium, ſit, v. g. vel nullum, vel minus, vel majus, vel hôc aliôve modô directum, vel plenum, vel vacuum &c. Facile patet *ſitus* varias iterum eſſe *ſpecies*, jactô ſemel adæquatô fundamentô levi operâ determinandas inde is *v. gr.* diſpeſcitur in *immediatum* & *mediatum* & hic in *propinquum* & *remotum*, item in *anteriorem*, *poſteriorem*, *lateralem*,

teralem; *liberum* & *interceptum*; *ſuperficialem*, *altum*, *profundum*, *medium*, *rectum*, *obliquum &c.* Vid. *Ontol. cit.* §. 53. Sin animum advertimus ad vulgares & uſitatiores ejusmodi dictiones, obſervemus ſponte *locum relativum* & *ſitum* ſynonymice ſicque æquivoce dici. Ita v. g. modò de loco, modò de ſitu ſuperiore, inferiore, medio, mediato, immediato &c. loquuntur, utrinque eadem innuentes. Neque obſtant *locationes* iſtæ *triviales* & *academicæ*, tam *proprie*, quam *improprie*, *moraliter*, inquam, & *phyſice* dictæ nec raro adeo *æquivocæ*.

§. 68. Quemadmodum vero, præter dicta (§. 67.), aliæ ſunt *loci relativi* ſpecies, hic non recenſendæ, ita ſupereſt, huc maximè ſpectans *diviſio loci* in *locum externum* atque *internum*. Inde enim dependet determinatio motus *in-* & *externi*, hic addenda (§. 62.). *Localia* ſunt vel *externa* vel *interna*, quæ varietas fundat *diviſionem loci* in *internum* & *externum*. *Externus* proinde *locus* eſt locus ſubſtantiarum quatenus ſeparatim *h. e.* ſine unione cum aliis exiſtunt. *Locus* autem *internus* eſt locus uniter coëxiſtentium, *h. e.* quatenus cum aliis unum aliquod conſtituunt, preſſius: locus unitorum. *Diſtincta* enim *localia* ſunt: vel *ſeparata*, vel *unita*. *Vnum* eſt ens quatenus reſpectu eſſentiæ ſuæ eſt aliquid in ſe & *unitas* eſt modus per quem quid ob eſſentiam ſuam eſt aliquid in ſe & *unio* eſt modus, per quem diſtincta efficiunt unum. *Diſtincta* enim *unum* efficiunt, aut non efficiunt *unum*. Vnde dicuntur *unita* & *ſeparata*, quorum *illa* ſunt diſtincta, quæ unum conſtituunt, *hæc* vero, quæ nullum efficiunt unum.

§. 69. Hæc (§. 68.) ſatis diſtinctè docent, quô nitatur fundamentô *diviſio motus*: a) in *externum* & b) *internum*. *Motus externus* eſt motus quo mutatur locus externus, ſeu mutatio loci externi, ideoque mutatio loci ſeparatim exiſtentium. *Motus* vero *internus* eſt motus, quo mutatur locus internus, ſeu mutatio loci interni, ideoque motus unitorum, ſeu in unione coëxiſtentium.

§. 70. Per ſe clara & ideo dictu haud neceſſaria hæc (§. 69.) poſſent judicari, ni jam dicta demum ita viderentur nec ab aliis aliter, quid? quod plerumque inconſtantiori dicerentur ambiguitate ſicque multis aliis aberrationibus præberetur occaſio. Major tamen obſervatur auctorum conſenſus in *interni*, quam in *externi*, motus determinationibus, quam poſteriorem utplurimùm plane negligunt. Quod decet, plerique ſe dixiſſe putant, dum *motum internum* dicunt, *motum*, *quoad interna*, ſeu, ut *quidam* loquitur, quando, *quod ad externa*, *actuale quieſcit*, *interna moventur*. Aſt in *interna* & *externa* ipſa dividuntur *unita*, *motus* igitur *internus* in *unitorum* cadit *interna* atque *externa*. v. C. G. MÜLLERI Syſt. Metaph. §. CCLXVIII. Ita *motus*, quo corpus animale abit in *putredinem*, eſt *motus inteſtinus*. Hic vero cadit tam in internas quam in externas illius *partes*. Quamobrem *motus inteſtinus* reſtringi nequit ad motus quoad interna entium obvios. Prætereo, quæ hic moneri poſſent alia.

§. 71. *Alii* (§. 70.) *motum* ab *effectu* vel *irrito* vel *ſuccedente* dividunt in *internum* & *externum*, *illum* dicentes motum, quo nullus, propter impedimentum, producitur *effectus*, *hunc* autem, qui per ſe *effectum* exerit atque ſic externè percipitur, ſaltim percipi poteſt. vid. ſupra (§. 64.) citatas *Diſſert.* §. 140 — 142. Verum ita *primo* obſtant jam monita (§. c.) *deinde* nullus *motus* ſine omni eſt *effectu*. *Poſtea* ſic confunduntur *motus efficaces* & *irriti* & *denique ſenſibiles* & *inſenſibiles*.

§. 72. Alii *motum internum* dicunt eam mutationem loci partium in ſubſtantia compoſita integrantium, qua iſtarum inter ſe jam alia produceretur ratio, quam quæ adfuiſſet ante. Sufficeret ad hunc conceptum monuiſſe, nequaquam *partes integrantes*, verùm etiam partes partium ſuum mutare locum ſub *motu inteſtino*, ideoque poſteriorem mutationem in hoc determinando neutiquam excludendam eſſe. Hinc enim *definitio definito* omnino foret anguſtior.

§. 73. *Motus* contra (§. 70 — 72.) *externi*, quem vulgo *progreſſivum* nuncupant (§. 62.), determinationem vix deprehendo, ne quidem apud eos, qui tamen ubique de iſto verba faciunt, ſæpe forſitan, ut credere par eſt, ſine mente. Vnicus hac vice occaſione præcedentis (§. 70.) ſubit cujusdam conceptus, quo *motus externus* dicitur *mutatio loci, quæ fieret ſine translocatione partium integrantium, ſaltem quatenus iſta non in conſiderationem veniret.* Sed repugnant modò dicta. Deinde hoc idem eſſet ac dicere: *motus externus* non eſt *motus internus.* Taceo alia.

§. 74. Recte ſtatuitur *in ſimplici motum inteſtinum eſſe impoſſibilem* v. C. G. Mülleri *ſyſt. Met.* §. 268. Modò non confundatur hæc propoſitio cum alia, qua obiter dicunt, *ſimplex motui inteſtino* obnoxium eſſe non poſſe. Aliud enim eſt dicere: in *ſimplici motus inteſtinus* eſt *impoſſibilis*; aliud: *motus ſimplicis* ſub *motu inteſtino* compoſiti eſt *impoſſibilis*; ſeu: *ſimplex* motui inteſtino, in compoſito nempe, obnoxius eſſe nequit, poſterius eſſet erroneum. *Motum* vero *inteſtinum* in *ſimplici* eſſe *impoſſibilem*, facile intelligitur. Motus *internus* eſt mutatio *loci interni* (§. 69.). *Locus internus* eſt locus unitorum (§. 68.). *Vnita* ſunt *diſtincta*, quæ unum efficiunt, (§. C.) ideoque *multa.* Sed *ſimplex* eſt ens ex ſe ipſo, non ex aliis & aliis, conſtans. *Simplici* igitur *motum inteſtinum* ita tribuere, idem foret, ac dicere: *ſimplex* eſſe *ſimplex* & non eſſe *ſimplex*. Hæc ſunt *oppoſita*, quæ in *concretione* τὸ *eſſe* tollunt. *Oppoſita* ejusmodi contradicunt, quia *contradictio* nil aliud eſt, quam *concretio oppoſitorum.* Quicquid vero *contradictionem* involvit, illud eſt *impoſſibile.* Vt igitur in ſimplici ſit *motus inteſtinus* eſt *impoſſibile.* Q. E. D.

§. 75. Sin igitur non *inteſtinus* (§. 74.), ſane, aut nullus, aut ſolus, *motus externus* cadit in *ſimplicia*, in *compoſita* vero *realia* uterque. Haud minori facilitate, quam præmiſſa, hæ demonſtrantur propoſitiones. Separatim exiſtentia ab uno in alium transferri locum, nil contradicit, ideoque eſt *poſſibile. Realia compoſita* actutum ſua mutare *loca externa*, docere quemlibet poteſt quotidiana avtopſia. *Simplicia* eorum ab aliis *ſimplicibus* diverſa, unde *elementa* recte vocantur, ad eorum ab aliis *diſtinctionem*, locorum mutationibus eſſe obnoxia, luculenter demonſtrant inenumerabiles mutationum in corporibus ubique obviæ infinitates, non admiſsâ *elementorum* mobilitate, non explicabiles. Haud igitur ſolum *compoſitorum realium* integrantes partes, ſed & partes partium ad exiliſſimas, minimas usque & ſimpliciſſimas, ſub tot tamque diverſis corporum mutationibus, locô moveri & mutationum myriadibus transponi, nullum amplius eſſe poteſt dubium. *Reliqua* vero hujus univerſi *ſimplicia* locum mutare poſſe *externum* atque hôc modô itaque *mobilia* eſſe, nemo negabit, qui ullâ alitur ſpe ſubſtantiam ſuam cogitantem, ad altiora natam, ad aſtra olim elevatum iri, qui, repeto, Davidis ex arce ſua proſpicientis & ad hoc *caput bonæ ſpei* aſpirantis exemplô in hâc ſeſe effun-

fundere poteſt animi fiduciâ : *Videbo cœlos, manuum tuarum opera, ſolem, lunam, ſtellas*, reliqua.

§. 76. Ne vero, quam hic (§. 63—75.) nactus ſum, præſentium meditationum cauſam juſto longius protraham, in viam redeo. Exinde enim ſatis ſuperque clarum eſſe exiſtimo, qua ratione, quoad directionem æque ac celeritatem, peccare poſſit, non ſolum *externus, progreſſivus*, verùm etiam *inteſtinus*, ſanguinis *motus*, ideoque uterque ſub omnibus tribus dictis (§. 62.) *polyæmiæ ſpeciebus* debuerit involvi.

§. 77. Hæ (§. 76.) verò *ſpecies* alias iterum inferiores ſub ſe comprehendunt. Nam *v. g. hæmorrhagiæ* ſunt vel naturales, vel alias *naturales*, nunc *præternaturales, fluxus*, nempe *muliebres vitiati, menſtruus* & *puerperarum*, quem lochia vocant, *hæmorrhagiæ* vel plane *præternaturales, narium, hæmoptoes, hæmorrhoides*, aliæ *ſpontaneæ* in diverſis viſceribus, quas v. g. excipit *vomitus cruentus, mictus cruentus* & *violentæ* ſub vulneribus. Præterque dictos *motuum ſanguinis morbos* multo plures alii ſunt qui cum *polyæmia* conſpirare ſolent, motuum *morbi, v. g. inflammationes particulares, univerſales, febres* dictæ, *morbi tranſpirationis, catarrhales*, ſtrictius dicti, *reſpirationis*, ſeu *aſthmatici*; *morbi motuum* ventriculo & inteſtinis contentorum, *dyſenteria, lienteria, cholera*; *morbi motuum* aliorum fluidorum, *bilis, lotii, fluidi genitalis*; *morbi motuum* in *ſolidis deficientium, excedentium*, quo ſpectant v. g. *morbi ſoporoſi, convulſiones, malum hypochondriacum, hyſtericum* &c. Ab omnibus hiſce aliisque hujus claſſis *morbis complicatis polyæmiam* diverſam induere indolem, palam eſt. Inde totidem oriuntur illius *ſpecies* v. g. *polyæmia convulſiva, hypochondriaca*, (licet ſub hypochondriis non ſolum, ſed ſub cranio plerumque deliteſcat), *aliæ*, hic non omnes recenſendæ (§. 58. 59). *Vſum* vero horum diſcriminum in *praxi* nemo vocabit in dubium. Ita *polyæmia hypochondriaca, hypochondriacum* malum, malum eminenter dictum iſtoque afflictis æque ac omnibus, qui rem cum iſtis habent, Medicis, aliisque, tantùm negotii faceſſens, non ſolùm mirificè auget exacerbatque, ſed & mala alia diriora haud raro inducit.

§. 78. Præter *morbos motuum* (§. 77.), *morbi materiæ* quoque cum *polyæmia* complicari ſolent (§. 60.). Multiplices iſti iterum ſunt atque diverſiſſimi, à quorum itaque conſortio illa, & aliam accipit ſortem (§. 56.), & alia proinde ſortitur cognomina, quibus in *praxi* ubique & *per individua* (§. 48, 49.), hic vero cum ſelectu (§. 59.) ab aliis diſcernenda eſt morbis. Nominatim ſequentes ejus varietates jam indicandas eſſe, judico.

§. 79. Quemadmodum *motuum morbi*, ita pariter quoque *morbi materiæ* ſunt: vel *quantitatis* vel *qualitatis morbi*, tam in *fluidis*, quam in *ſolidis*, denuo occurrentes. Ex *morbis quantitatis materiæ* ſpeciatim reſpectu *quantitatis fluidorum*, vel *excedentis*, vel *deficientis*, præcipue hic (§. 78.) annotari merentur: a) *obeſitas*; b) *phtiſis*; c) *cachexia*; d) *flatulentia* & reſpectu *quantitatis ſolidorum*; e.) *defectus artuum* poſt *amputationes* vel per alia infortunia amiſſorum.

§. 80. Sub horum (§. 79.) morborum conſortio *polyæmia* omnino longe aliâ induta comparet facie aliamque aperit ſcenam & propterea jure meritoque *diſtinctis* ſuis inſignita *nominibus* in ſuas diſpeſcitur *ſpecies*, quæ itaque juxta indicata fundamenta erunt: a) *polyæmia obeſa*, b) *phtiſica*; c) *cachectica*; d) *fla-*

tulenta & e) *polyæmia mutilatorum.* Definitiones perquam faciles ſunt. *Polyæmia obeſa* nempe eſt polyæmia, quæ pinguitudinem præternaturalem; *phtiſica,* quæ maciem præternaturalem; *cachectica*, quæ ſeroſo mucidam colluviem intra vaſa adhuc ſtagnantem; *flatulenta*, quæ abundans fluidum aëreum; *polyæmia mutilatorum* denique, quæ artuum defectum, complicata habent.

§. 81. Quot, quàm dira, quàm diverſa alia mala inducere poſſit *polyæmia obeſa* pariter atque *phtiſica* oculatiores norunt *practici*, qui *obeſorum* onera ſublevanda potius, quam tollenda & labefactatam *phtiſicorum* valetudinem tuendam ſuffulciendamque rectius, quam plane reſtituendam ſibi ſumunt, & ægrorum ſæpe tutores tutius ſe eſſe malunt, quam eorum reſtitutores per ſpeciem agere, aut videri. Experientia teſte *polyæmia* ſane *phtiſica* æque ac *obeſa*, & certius, & celerius, & poſterior ſæpe opinione citius, & ex improviſo jugulat. Ibi enim inopia hanc ferre recuſat copiam, hîc onere oneri additô ſuccumbunt. Ceterum in *polyæmiæ* tam *phtiſicæ* quam *obeſæ notionibus* (§. 80.) notata fuit *nutritionis*, vel *deficientis*, vel *excedentis*, *quantitas præternaturalis*, quoniam & naturâ *marilenti* dantur gracileſque & *pingues* atque bene curatâ cute nitidi medullatique & nondum morboſè ſaginati, ut ita *macies phtiſica* à naturali & *obeſitas* à pinguitie, nondum morboſa, debitè diſcernantur.

§. 82. Non minoris, quam dicta modò (§. 81.), momenti eſt *polyæmiæ cachecticæ* ab alia diverſitas. Hæc enim & frequentius & efficacius impedit ipſius cachexiæ medelam & ſub hujus conſpiratione mirâ celeriorique methamorphoſi in atrociores transformatur morbos. Saltem *cachectici* & *chloroticæ*, ita enim nuncupamus femellas iſtas *cachecticas*, tenellas, molliuſculas aſpectuque pallidulas atque luridas, *polyæmiâ* plerumque unâ laborant. *Polyæmiam cachecticam* eam dixi (§. 80.), quæ cum ſeroſo-mucida humorum colluvie, intra vaſa adhuc ſtagnante, complicata eſt, quam neque ſola ſeroſa, neque ſola viſcida, neque qualicunque modô collecta, ſed utraque & intra vaſa adhuc coacervata ſtagnansque ex parte tantum, humorum colluvies, veram exhibet *cachexiam.*

§. 83. Poſteriori diſcrimine (§. 82.) ab aliis maxime diſcernitur morbis, præſertim ab *hydrope*, ubi ſerum abundans extra vaſa ſua prorumpit atque in alienis locis colligitur. Id quod *celeberr.* S. SCHARSCHMID in *Inſtit.* ad ſtudium medico chirurgicum *P. II. Sect. XI. §. 6. p. m. 663.* jam annotavit dicens: Es iſt nicht nur nützlich, ſondern auch nothwendig Anaſarca wohl vor der Cachexia zu unterſcheiden — — — bey der Cachexia ſind die wäſſerichte Säfte unter der äuſſerlichen Haut noch nicht extravaſirt, ſondern die Gefäſſe unter der Haut führen nur wäſſerige, ſchleimige, blaſſe Säfte, welche eine blaſſe Farbe der Haut verurſachen, und ihrer Zähigkeit und langſamen Bewegung wegen die Gefäſſe der Haut über die Gebühr auftreiben, und folglich eine Ausdünſtung der Haut verurſachen; hingegen bey der Anaſarca iſt eine würkliche Austrettung und Anhäufung wäſſeriger, ſchleimiger Feuchtigkeiten unter der Haut in der Fellhaut und übriger zellichten Haut der Muſculn, nebſt einer Verſchleimung der Säfte und des Bluts im ganzen Cörper, und da ſolche Säfte gar leicht austretten können, ſo ſieht man hieraus die Urſachen, wie und worin die Cachexia in Anaſarca übergehen könne, wie ſie denn auch gemeiniglich der Anfang dieſer Krankheit iſt.

§. 84.

§. 84. *Cachexiam* inter morbos materiæ ad fluidorum horumque quantitatis morbos à me referri, data (§. 80.) & modo explicata (§. 83.) *polyæmiæ cachecticæ* innuit determinatio & ſupra (§. 70.) apertius profeſſus ſum. Quô id faciam jure, oſtendunt jam dicta & morbi conditiones & ALIORVM vagæ de iſta locutiones, juxta quas locô hujus colluvie ſeroſo-mucoſæ, extra vaſa ſtagnantis, jam illius *cauſas*, jam illius *ſymptomata*, jam illius *cauſas* & *ſymptomata*, jam unicum, jam plura, jam pauciora concurrentium horum ſtatuum phænomena ſicque jam *ſimplicem*, jam *complicatum morbum*, jam *fluidorum*, jam *ſolidorum*, jam *quantitatis*, jam *qualitatis*, jam *mixtionis*, jam *figuræ*, jam vel ſolius *coloris* ſtatum inſolitum *cachexiæ* nomine ponunt.

§. 85. Hinc eam *alii* explicant per *habitum corporis*, *græcæ* inhærentes *denominationi*, à κακὸσ *malus* & ἕξις, *habitus*, deductæ; *Alii* per *coloris* naturalis degenerationem in album, flavum ſubviridem, *alii* per alios conceptus. Cl. BOERHAVIVS de *cognoſc. & curandis morbis* §. 1166. *cachexiæ*, inquit, *nomine intelligi ſolet ea diſpoſitio corporis, quæ nutritionem ejus depravat per totum illius habitum ſimul.* Quis vero non videt in ſeptuaginta ſeptem & plures morbos alios hanc cadere determinationem. Nonne quoque omnibus cognitum eſt ſub *phthiſi depravatam eſſe nutritionem per totum corporis habitum ſimul.* Ecquis vero rerum noſtrarum vel ignariſſimus *phthiſin* dixerit *cachexiam?* Conf. J. JVNCKERI *Conſpect. Medicinæ theoretico-practicæ Tab.* 87. *Nro.* 1—10. SCHACHT *Inſt. Med. pract. L.* C. *I.* §. 17. SCHARSHM. *Inſtit. ad ſtudium medico-chirurgicum P. I. Sect. II. c.* 3. §. 3. *P. II. Sect. XI.* §. 6. *J. G.* KRÜGER *Phyſ. P. III. Sect. II. c.* 59. §. 452. Poſteriores binos Auctores ſocialiter hic allegare placuit, quoniam ſub ipſô eorum quôdam diſſenſu, quem poſterior *l. c.* §. 451. ipſemet jocoſe fatetur, non minus jucundum, quam ſolidum, obſervare licet conſenſum ad eadem usque verba.

§. 86. Verum enimvero in noſtra *Pathologia* maxime ejusmodi (§. 84, 85.) evitanda eſt linguarum confuſio babylonica. Determinatius oportet loqui in rebus ſalutem noſtram concernentibus. Figendi tandem aliquando ſunt unanimi conſenſu *termini*, quibus utimur, ſaltim *technici*. Haud adeò difficilis hæc res eſt. Objici quidem poſſet: quot eſſent Auctores, tot dicendi genera, eſſe & tot ſenſus, quot capita. Si obſtipa velint, qui ita deſperarent, concedo, ſi erecta & recte ſententia, nego. Nemo ex æquis rerum æſtimatoribus obiter poſtulabit, ut ſecum uno conſentiant omnes alii. Subſtratâ vero poſtulati ratione ſufficienti, quis eorum alteri amplius denegabit conſenſum, quis non perlubenter in hunc ſe patietur trahi. Hac mentis æquitate nil quicquam mihi ſoli cupio, neque in hac, neque alia ſimili in cauſa diſſenſui obnoxia. Rationes ejus, quod agitur & qua poſſumus ſollicitudine, & ab omni partium ſtudio nosquàm alieniſſimos, ſemper & ubique rimari & explorare exploratasque quavis ſubnatâ occaſione decenter communicare, officii eſt. Ita vero undecunque expetimus meliora, ad iſta, repudiatis noſtris, ſponte & ut ajunt, ambabus amplexanda promtiſſimi. Hæc igitur quamdiu non fuerint ſurrogata nobis, ab aliis nos noſtris pertinaciter ſtare, quis vitio vertet?

§. 87. *Polyæmia flatulenta* (§. 80.) dicitur à *flatulentia.* Illam ab hac centenis vicibus plus concurrere, *quam* cum aliis morbis Practici compertum habeat.

beat. Jam neceſſaria eſt hujus *polyæmiæ* ab alia diſcriminis obſervatio. *Flatulentia* vero nullibi, quam inter dictos (§. 79.) morbos commodum invenit locum. Nulla pars, nullus humor corporis animalis aere deſtitutus eſt, teſte antlia pnevmatica. Sine hoc quoque fluido nullum in vita ſubſiſteret animale corpus. Quamprimum vero abundat ſuique juris fit fluidum hoc microcoſmicum ſub adverſis ejus turbinibus ſanitate periclitatur machina vitalis. *Flatulentia* vero alia *inſtabilis* eſt, alia *inſtabilis*, ut *tympanitica* & *emphyſematica*. Cujuscunque cum *polyæmia* conſenſus multifariam hujus mutat conditionem.

§. 88. *Polyæmiam mutilatorum* (§. 80.) propterea ſilentiô hic præterire nolui quoniam ad iſtam plerumque parum aut plane non attendunt; manuum, pedum, vel per neceſſarias artificiales reſectiones, quas amputationes dicimus, vel aliis modis factam jacturam maxime nulla ſuccedenti majori hæmorrhagia, mox excipit juſto copioſior ſanguinis in reliquo corpore accumulatio. Non enim ſolum ob defectum multorum majorum minorumque vaſorum, ſanguini excipiendo alias dicatorum, ſed & ob defectum reliquæ fabricæ, quæ ex eodem fonte ſuam olim hauriebat nutriens liquidum, major in reliqui corporis vaſis reliquitur cruoris copia, quam quæ ab iſtis ſine moleſtia capi aut ex iſtis nutritioni impendi poteſt. Quantumvis vero etiam ejusmodi jacturam utplurimum ſimul inſigniores excipiant ſanguinis profuſiones ob organorum ad id diſpoſitionem, tamen ſolita aliàs mox iterum ingeneratur copia, jam vero juſto largior. Ex quo intelligitur *venæ ſectionis* in *mutilitatis* neceſſitas. Neque ſufficere exiſtimandum eſt, eam unâ alterâve vice & in primis poſt *amputationes* temporibus eam inſtituiſſe, ſed & ſuccedente aliquo temporis tractu illam repetitis vicibus celebrare oportebit, ni aliis modis, parciori nempe diæta, vel motu corporis, vel morbo, huic ad polyæmiam proclivitati præcautum fuerit.

§. 88. b) *Polyæmia mutilatorum* (§. 88. a.) eſt *ſpecies polyæmiæ cum defectu vaſorum conjuncta.* Quare huc etiam referri debent aliunde oriundi *defectus vaſorum. V. g.* eorum *præternaturalis anguſtia* vel *morboſus coalitus.* Obſervantur enim, licet rarius, *ſubjecta*, quibus *vaſa* ſunt præter naturæ conſuetudinem *exilia.* Frequentiores autem ſunt *vaſorum morboſæ Oblitterationes*, maxime in ſyſtemate venæ portarum. Hi tamen defectus non confundendi ſunt cum eo, quod utrinque naturaliter aliquando accidit. Etenim ſæpius ſine morbo modò ampliora, modò valde exigua ſunt vaſa. In *ſenibus* quoque naturæ inſtituto ſenſim ſenſimque cœunt atque oblitterantur vaſa. *Senectus* enim, qua talis, *non eſt morbus*, ut vulgò ſtatuitur. Quæ *polyæmiæ* diverſa ratio novam ejus ſuppeditat varietatem, æque in iis, qui à nativitate vaſa habent valde exigua, ac in ſenibus, quorum vaſa ſenſim coaleſcunt, in *praxi medica* probe obſervandam. Sed hæ *polyæmiæ ſpecies* ex parte huc non ſpectant, ubi loquimur de *polyæmiæ* ſpeciebus ab illius cum aliis morbis implexu determinandis. Aliter res ſe habet cum *varicoſa*, *anevriſmatica* &c.

§. 89. Inter *materiæ morbos* præter *quantitatis morbos*, *qualitatis* quoque *morbi* cum polyæmia poſſunt complicari (§. 78 — 79.). Horum præcipui hîc nominandi (§. 59.) in fluidis ſunt: *orgaſmus*, *ſpiſſitudo*, *cacochymia*, quæ eſt vel *icterica*, vel *ſcorbutica*, vel *venerea*, vel *alia*; in ſolidis: *ſpaſmus*, *atonia*, *mala conformatio*, alii *qualitatis morbi* in ſolidis. Inde dicuntur determinanturque

polyæ-

polyæmia a) *orgaſtica*; b) *ſpiſſa*; c) *cacochymica*, cujus ſpecies ſunt: *ictericà*, *ſcorbutica*, *venerea* &c. f) *ſpaſmodica*; g) *debilitatorum*; h) *malè conformatorum*. *Definitiones* ſingularum harum ſpecierum perquam faciles ſunt. Poſitâ enim *polyæmia*, *generis* locô, & ſingulos addendo concurrentes dictos morbos locô differentiæ ſpecificæ, omnes erunt in promptu.

§. 90. Sanguis abundans vaſa per ſe jam damnosè expandit, una expanſus turgeſcens, iſta eo magis & ad rupturam usque diſtendit & longe graviora infert damna. Spiſſatum corruptumque non ſine magno ſanitatis diſpendio abundare, triſtes dudum docuerunt eventus. Quàm doloſa dolorisque pariter ac periculi plena ſit plenitudo ſanguis apud eos, qui ſpaſmis laborant, *arthritici* &, qui inter iſtos, ob honores quoad mores & ob mores quoad dolores merito plerumque primatum tenent, *podagrici* ſatis ſuperque experiuntur. *Spaſmis* in anguſtius coactus cruor exitum quærit, non inveniens ſtagnat, ſtagnans corrumpitur, corruptus vellicat, rodit ſenſiles partes, in articulis maxime. *Laxatæ* contra partes flumen hoc non coërcent, in itinere ſuo, ut decet, non dirigunt. Quod itaque abundat, exundat, quod exundat, multifariam peſſundat œconomiam animalem. *In malè conformatis*, *gibboſis*, *ſanguinem*, abundantem ob illius eo difficiliorem itum reditumque per thoracis mæandros, *phtyſi pulmonali*, *cordis polypis*, *hæmoptyſi*, aliisque malis præbere fomitem, clinicæ teſtantur obſervationes. Scitu adeo neceſſaria ſunt hæc polyæmiæ diſcrimina (§. 89.).

§. 91. *Orgaſmum*, *ſpaſmum* & *atoniam* morbos eſſe conſtat omnibus, cujus vero ſint claſſis, non æque. *Alii* enim alia ipſis aſſignant loca. Vulgo autem *motuum morbis* accenſeri videntur, *orgaſmus* maxime. Hinc etiam *polyæmiam orgaſticam* vulgo non diſtinguunt à *polyæmia commota*, quæ tamen ab iſta multum diſcrepat, id quod ex mox demonſtrandis eluceſcet. Ita vero & dicti & alii, & materiæ motuumque morbi inſigniter invicem confunduntur.

§. 92. Ad *materiæ morbos* à nobis iſtos (§. 91.) referri, haud obſcurè indicant, quæ diximus (§. 89.). Rectè iſtos huc referri, ita demonſtratur. *Tonus* eſt ipſa elaſticorum ſolidorum tenſio, ſeu extenſio, *ſolidorum*, repeto, in *fluida* enim non cadit *tonus*, *elaſticorum*, addo, extenduntur enim quoque *ſolida* non *elaſtica*, quam extenſionem non dicimus *tonum*. Elaſticorum *tenſionem*, dico *tonum*, non *elaſticitatem*. *Primò* namque his competens *elaſticitas*, *tenſilitas*, ſeu *extenſilitas* rectius dicenda, ſane differt ab ipſa eorum tenſione. *Deinde elaſticitas* non in ſola *ſolida*, in fluida cadit quoque. *Tonus* itaque non *motum*, ſed alium in ſolidis ſtatum, indicat, tenſionem nempe, non motum, quo tenduntur ſolida elaſtica. Ex quo perſpicuum eſt diſcrimen inter *tonum* & *motum tonicum*, ad quod vulgo non attendunt, qui promiſcuè loqui aſſolent de *tono* & *motu tonico*. Quaſi vero parum referret, res ſuas adeo indiſcretim inter nos agere. *Tonus*, pergo, eſt: vel *animalis*, vel *alius*. Vterque: vel *naturalis* vel *præternaturalis*. Hic porro: vel *præternaturaliter auctus*, vel *præternaturaliter imminutus*, ſeu *relaxatus*, *Relaxatus* enim generatim dictus poteſt eſſe quoque *naturalis*. Vnde *relaxatio* recte dividitur in *naturalem* & *præternaturalem*. *Prioris* nominis *tonus* eſt *tonus* ultra *toni* huic iſtive ſubjecto naturalis gradum auctus, *poſterior* infra eundem imminutus, ſive uterque *animalis* fuerit, aliusve. Hac cogitationum

analyſi pervenimus ad genuinas *ſpasmi* & *atoniæ* notiones, quas aliàs adeo vagè & ambigue plerumque pronuntiant. *Spasmus* itaque eſt tonus animalis ultra naturalem auctus. *Atonia* vero à relaxatione, ut genus à ſpecie, diſtincta, eſt tonus infra naturalem imminutus. *Spasmus* igitur partium corporis animalis ſolidarum, quæ omnes ſuo gaudent elatere, majorem, *atonia* vero minorem, involvunt tenſionem, quam quæ ipſis alias ad naturæ ſuæ regulas eſt conceſſa.

§. 93. Tam plana & jucunda eſt vera cogitationum noſtrarum *analyſis*, in hac & in aliis quoque nondum debite extricatis doctrinis ultra proſequenda, niſi quidem meditationum *analyticarum* plane impatientes eſſe velimus, aut, quam patienter meditari, ubique nos præcipites dare, malimus, eorum more, qui, quam *intelligentiæ* & *judicii* ſeveritati obedire, durius hoc eſſe ſentientes, malunt ſui non ſubacti ac lubricis ſpeculationibus circumſtrepiti ingenii illecebris indeque ſoboleſcentium vagabundæ dictionis circumlocutionum lenociniis luxurioſius indulgere.

§. 94. Ita pariter (§. 91—93.) *orgasmus* nequaquam referendus eſt ad *motuum morbos*, licet ejusmodi de illo foveant conceptum, ubi de iſto faciunt verba. In *fluida* æque ac in *ſolida* cadit *elaſticitas*. *Elaſtici*, *elaſticitatis*, *elateris notiones*, omnino diſtinctas, brevitatis cauſa hic ſuppono, utpote parum dubias. Ab *elatere* fluidorum pendet eorum *extenſilias*, ſeu extenſionis poſſibilitas, & ipſa *extenſio*, ſeu *expanſio*. Hæc *technicô* dicendi genere nuncupatur *orgaſmus*, qui revera nil aliud eſt, quam fluidorum expanſio. Ad *analogiam* modo traditæ de *tono* doctrinæ ſine difficultate eruuntur, quæ de *orgaſmo generatim* dici poſſunt, & *dogmaticè*, & *polemicè*. *Orgaſmus* enim alius eſt *naturalis*, alius *præternaturalis*, licet vulgò omnem pro morbo habeant. Saltem nullus alius conveniens ſuppetit *terminus*, quo *naturalis* fluidorum, ſpeciatim humorum & ſpecialius fluidorum corporis animalis, expanſio hactenus eſſet deſignata, aut deſignari deberet. *Naturalis* fluidorum corporis alicujus animalis *orgasmus* ad *Phyſiologiam*, eorundem *præternaturalis* ad *Pathologiam* pertinet ideoque in hac expreſſius nec ita obiter de *orgasmo* loquendum eſt, ut ibi diſtinctim pariter de *naturali*.

§. 95. Porro (§. 94.) *orgasmus* æque ac *tonus* eſt: vel *animalis*, vel *alius*, uterque: vel *naturalis*, vel *præternaturalis*, vel ſupra naturalem *auctus*, vel infra eundem *imminutus*. *Penultimus* forte rectè dici poſſet turgor, ſeu *orgasmus turgeſcens*, *poſtremus* vero *lentor*, ſeu *orgasmus lenteſcens*. Vtroque enim modô peccant omnino corporis animalis fluida. Quam indagatu neceſſaria ſit poſterioris vitii, de quo plerumque plane tacent, ratio pathologica, inter Pathologos vulgo non adveritur. Ceterum ex his ſatis perſpicuum eſt, *orgasmum* neutiquam *motuum morbis* accenſendum eſſe, ut plerumque fieri aſſolet. Differt enim *orgasmus* & *motus orgaſticus*, ut *tonus* & *motus tonicus*. Quemadmodum igitur *orgasmum* cum motu, quo is producitur, ita quoque *polyæmiam orgaſticam* cum *polyæmia commota* confundere, dedecet (§. 91, 92.).

§. 96. Erunt forte nonnulli, qui, quod haud fruſtra hic ſuſpicari eſt, fluctuante ad hæc (§. 61—94.) ſubſiſtunt animô, ambigentes de veritate & utilitate præmiſſarum *diviſionum*. Inuſitata hæc ipſis videbitur doctrina. Nimiam, cogitabunt, hanc eſſe prolixitatem. Ita cogitantes inquient: quod ſi usque eo

ſeſe

ſeſe diffundunt pathologicæ indagines in omni cujusvis morbi doctrina, quorumvis aliorum ubique coincidet conſideratio atque hôc modô juſtô operoſiores forent noſtræ doctrinæ. Ad ſingulas, eodem, quo propoſitæ ſunt, dubitationes, ordine hæc regero. Veritatem dictarum *polyæmiæ ſpecierum* demonſtravi (§. 55, 56.). *Vtilitatem* ejusmodi *diviſionum* docent iſta (§. 35.). Docebunt ultra adplicationes in reliquâ de hoc morbo doctrina, tam *theoretica*, quam *practica* æque ac in ipſa *praxi*. Vtrobique enim pro *morborum complicatorum varietatibus* variant, quæ circa quemlibet nobis oblatum morbum ferre debemus judicia. Inuſitatiùs quid fieri, modò rectè id fiat, culpâ vacat. Noſtros ad aliorum compoſitos eſſe *mores*, decet quandoquidem, non ſemper. Nimiam hac in re prolixitatem temperant, quæ dixi (§. 59.). Nexum morbi cujusvis cum quibusvis aliis, quotquot eorum fuerint, tam in *theoreticis*, quam in *practicis*, Medicorum doctrinis, vel explicitè, vel ſaltem implicitè, cognoſcendum eſſe, res ipſa loquitur & omnia ſalutaris artis noſtræ urgent principia. Ita vero profecto nunquam juſto operoſiores eſſe pòterimus. Vtinam eſſent quidam in hoc operoſiores, nec juſto oſcitantiores!

§. 97. *Ipſimet* forſan, *quibus* præmiſſa *analyſis* fere fuiſſet ſubmoleſta, minimùm ambigua (§. 96.), eadem nobiscum ipsô ſtatuunt factô. *Eos* volo, amplius ambigentes, qui nihilominus, licet parcius, ipſi de iisdem *polyæmiæ* varietatibus loquuntur. Quod ſi igitur *ſpecies* iſtas binas, tresve cùm dimidia, easdemque non exquiſitè ſatis ubique receptas, admittunt, cur non fas eſſet, admittere reliquas, equidem non perſpicio. Qui *v. g. polyæmiam commotam*, *puram*, *impuram &c.* ſpeciatim diſcernunt à *polyæmia* in *genere*, nonne iidem eo ipſo fatentur, ejusdem *generis ſpecies* eodem jure eſſe diſcernendas. *Commotam* dicunt, quæ cum juſtô concitatiori ſanguinis motu, *impuram* ſeu *cacochymicam* vero, quæ cum humorum dyſcraſia complicata eſt. Ibi igitur ſanguinis *motum præternaturalem*, hic humorum *craſin morboſam*, ideoque utrinque alium *morbum complicatum* certiſſime pro fundamento habere debent, quod ſubſternipoſſet dictis varietatibus determinandis. Eodem igitur fundamentô nituntur *polyæmiæ* varietates plures aliæ. *Polyæmiam* ob concurrentem motum ſanguinis morboſum dicunt *commotam*. Sanguinis vero motus utroque peccare poteſt, & directione, & celeritate, & quoad celeritatem duplici iterum modo (§. 61.). Quo itaque jure reſpectu motus ſanguinis *polyæmia* dicitur *commota*, eodem huc refertur *devia* & *lenta*. Quam vero ab ea, quæ vulgo dicitur *quieta*, diſtinctam eſſe, infra oſtendam.

§. 98. Idem (§. 97.) ſtatuendum de *polyæmiæ* diverſitate, quam accipit ab aliis *complicatis motuum morbis*. Quod ad *polyæmiam cacochymicam*, quam plerique auctores admittunt, illa iterum à ſua cum alio concurrente ſtatu morboſo complicatione denominatur & determinatur. *Cacochymia* vero varia eſt *v. g. ſcabioſa*, *icterica*, *ſcorbutica*, *venerea &c.* Nonne igitur inde denuo totidem oriuntur *polyæmiæ ſpecies*. Nonne denique ex iisdem hactenus indicatis rationibus perſpicuum eſt, præmiſſam *polyæmiæ diviſionem* ne ab aliorum quidem cogitatis plane abludere & ipſo omnium confirmari conſenſu, quo ubique loquuntur de *polyæmia* commota & *cacochymica*.

§. 99. Quid plura? indignatiunculâ ad iſta (§. 96—98.) me inquietari ſen-

tio.

to. Liberius enim rem dicere, quid vetat? Lacunas *pathologicas* quis oculatiorum Pathologorum non videt, quis probatæ notæ Practicorum eas explere non ſtudebit, aut ab aliis expleri, non exoptabit. Eas fori noſtri doctrinas, quæ *Noſologiæ* coercentur limitibus, præ aliis incultas jacere, experientia loquitur. Ne enim nomine quidem ſatis cognita eſſe videtur *Noſologia*, prima & præcipua Pathologiæ noſtræ pars. *Nominatô* & obiter ſæpe determinatô, de quo tractaturi ſunt, morbô vix unam alteramve ejus indicant varietatem, indeque mox progrediuntur ad recenſionem *cauſarum*, *ſymptomatum*, *ſignorumque diagnoſticorum* atque *prognoſticorum*, quæ tamen omnia debite explicari haud poſſunt, ni ubique reſpiciatur diverſa morbi indoles, pro cujus varietate iſta omnino inſigniter variant. Maxime ea præteriri obſervatur, quam quilibet habet à ſuo cum aliis implexu. Si quando autem hæc ipſis in mentem venit diverſitas, illos objectum ſuis meditationibus morbum vix videas dividere in *ſimplicem* & *complicatum*, quaſi vero non expediret, præcipuas ſaltem inde dependentes illius varietates paululum diſtinctius dignoſcere, cum id tamen, tam in reliqua de iſto *doctrina*, quam in ipſa *ſolidiori praxi*, maximum trahat momentum (§. 48 — 49.).

§. 100. Sed hæc (§. 99.) faceſſant. Progredior ad alia. Præter commemoratas (§. 62, 77, 80, 89.) *polyæmiæ* varietates, quas ipſi inferunt alii, quibuscum complicatur, morbi (§. 50, 54.), ſuperſunt aliæ ab ipſius *ambitu*, *cauſis*, *ſymptomatibus*, *diagnoſi*, *prognoſi*, *ſubjectis*, quoad *ſexum*, *ætatem*, *temperamentum vitæ genus*, ab ejusdem *ſede*, invaſione, & duratione, petendæ (§. 56.), & pro fine (§. 57.), indicandæ.

§. 101. Quod *polyæmiæ* ambitum (§. 100.) attinet, illa aut per univerſum ſeſe diffundit corpus, aut incertis tantùm occurrit illius partibus. Ob hanc illius varietatem, recte dividitur: a) in *univerſalem* & b) *particularem*, quarum illa ea eſt, quæ in univerſo corpore, hæc vero, quæ in certis tantum illius partibus exiſtit.

§. 102. *Particularis polyæmiæ* (§. 101.) exiſtentiam demonſtrant *æſtus volatici*, *terrores*, ſub quibus cruore ad interiora abundantius redundante, lypothymias, cordis palpitationes, pectorisque anguſtias paſſi, exaleſcunt, *ira*, qua eodem ab interioribus ad exteriora copioſius pro- & expulſo excandeſcunt, *pathemata hæmorrhoidalia*, ſi non ipſæ *hæmorrhoides fluentes*, ubi largius in vena portarum, porta tot malorum, largius quam alibi coacervatur, *inflammationes particulares*, abundantiore *ſanguinis affluxu* ad partes ſenſibiles afflictas, *anevriſmata*, *varices*, præternaturales *congeſtiones* ſanguinis ad genitalia muliebria, ad mammas poſt partum, unde febres lacteæ. Stabilitâ lege ad partes uterinas major, quam ad alias, aggeritur ſanguinis copia. *Naturalis* hæc eſt, ſi ſtatis menſtruis temporibus illa iterum imminuitur. *Morboſa* vero & multis modis moleſta mox evadit, quamprimum opportuna hæc ceſſat evacuatio, nec ſanguis hic aggeſtus graviditate interveniente nutritioni fœtus impenditur. Partu excluſô uterus collabitur, vaſa ejus ſanguine turgida comprimuntur, ſanguis ex iſtis ad mammas abunde redundat ob nexum uteri cum mammis ex anatomia cognitum. *Naturalis* igitur *particularis* hæc eſt *ſanguinis* ad mammas *concervatio*, quamdiu iſta non juſto abun-

dantior

ſtantior accidit. Tum enim eo ipſo adeſt *polyæmia particularis* mammis *lactantium* ſæpe ſatis funeſta.

103. *Univerſalis* vero polyæmiæ (§. 101.) exiſtentiam nemo amplius in dubium vocat, ſi diſceſſeris ab iis, qui omnem negant ſanguinis abundantiam, (§. 6, 22.) quorum error ſupra (§. 23—27.) jam remotus eſt. Quinimo *polyæmiam* non plane negantes *univerſalem* ſanguinis exuperantiam usque indubiam habent, ut circa hanc fere ſolam operoſius occupati eſſe & præ hujus frequentia *particularem* vix videre videantur. Ne enim quidem apud eos ipſos, qui vel nimii ſunt in *plethoræ* æſtimatione deprehendas hanc illius *diviſionem in univerſalem* & *particularem*, cum tamen circa alios morbos ſæpe ſæpius eandem obſervent varietatem. Verùm, quô alibi, eô hic, jure idem ob oculos habendum eſt doctrinæ momentum, ob multiplicium *polyæmiarum particularium* certiſſimam *exiſtentiam* (§. 102.), ob *diſtinctionis* earum denique *utilitatem* & *neceſſitatem*; quanti enim, quæſo, momenti eſt *v. g. particulares* illas, de quibus infra, *polyæmias* à congeſtionibus ſanguinis juxta certa ætatum intervalla ad certa tantùm loca determinatis dependentes in *praxi medica* probe dignoſcere.

§. 104. Inſignis porro (§. 101.) *polyæmiæ varietas* occurrit *reſpectu cauſarum* ipſius, nunc conſideranda (§. 100.). Hæ, vel iterum ſunt *morbi*, vel *aliæ*. *Cauſas* vero morborum *morboſas* & *non morboſas* ubique diſcernendas eſſe & ſub diverſa hac relatione diverſos eſſe morbos, ab iſtis inductos, dubiô caret. Hac igitur præſentis claſſis varietate fundatur: diviſio a) in *idiopathicam* & b) *ſymptomaticam*. *Idiopathica* vero ea eſt, quæ idiopathice, *ſymptomatica*, quæ ſymptometice producitur.

§. 105. Duplex ad hæc (§. 104.) quibusdam forte ſubnaſcitur objectio, una circa dictas *polyæmiæ idiopathicæ* & *ſymptomaticæ definitiones*, altera circa poſterioris exiſtentiam. De poſterioris nempe veritate poſſet dubitari, & in utraque idem per idem explicari videri. Vtrique ergo dubitationi ſatis faciendum eſt.

§. 106. Quod ad dubium (§. 105.) circa datas (§. 104.) *definitiones:* illæ involvunt morbi *idiapathici* & *ſymptomatici notiones*, horum definitionibus jam contentas ideoque in *polyæmiæ idiopathicæ* & *ſymptomaticæ* non iterum explicitè repetendas. Quum vero ejusmodi implicitas notiones ſupponere non licet & iſtas, utpote plerumque ambiguas, aliunde citare non poſſim, illas hic addere oportebit.

§. 107. Mirificè fluctuant allucinanturque haud raro Pathologi in *idiopathici* huicque oppoſiti morbi, quem *ſymptomaticum* dicimus, determinandis notionibus. Inde ſaltim plerique plures multo, quam qui reapſe occurrunt, *idiopathicos* conſtituunt morbos & prætera modò *ſomptomaticum* dicunt *idiopathicum*, modò *hunc* appellant *ſymptomaticum*; modo *idiopathicum dividunt* in *idiopathicum* & *ſymptomaticum*; eâdem *contradictionis* turpitudine, iterum diſpeſcunt in *ſymptomaticum* & *idiopathicum*, ſeu quod idem eſt, in non *ſymptomaticum* & *idiopathicum*; modò *idiopathicum* cum *ſimplici*; modò eundem cum *primario* atque ideo contrà *ſymptomaticum* modò cum *compoſito*, modò cum *complicato* (§. 50.), modò cum *ſecundario*, *hæreditario*, modò cum contagioſo egregiè confundunt & quæ ſunt aliæ aberrationes, quas, ſi vacaret & ope-

ræ pretium foret ſingulatim & nominetenus cum ſuis allegare poſſem autoribus. Mittamus vero ejusmodi controverſioſa, & leviora, & invidioſa, & ad ſubſtratas denique terminorum genuinas notiones facile componenda.

§. 108. Sin omnes commemoratas (§. 51, 107.) aliasque tricas erraticas evitare volumus, adæquatè determinandæ ſunt dictæ morborum *ſpecies.* Hôc vero penſiculatius conſideratô, facile erit intelligere, morbum *idiopathicum* dicendum eſſe morbum, quatenus non iterum ab alio ſui ſubjecti morbo dependet, ſeu: quatenus aliam, quam iterum *morboſam*, ipſi, cui ineſt ſubjecto, inhærentem, agnoſcit cauſam. Inde palàm eſt, morbum *ſymptomaticum* dici debere morbum, quatenus ab alio iterum dependet ſui ſubjecti morbo, & *idiopathicum*, quatenus nullum alium ſui ſubjecti morbum pro ſua agnoſcit cauſa. Nolo hic oſtendere communicatorum conceptuum prærogativas, utpote in *doctrina* & *praxi* ſub eorum adplicatione ſponte obvias. Hoc unicum addo. Plerumque per morbum *ſymptomaticum* obiter innunnt morbum ab alio oriundum. Ita vero non debitê diſtinguitur *contagioſus.* Hic enim pariter eſt ab alio morbo, nec ideo tamen ab illo vocatur *ſymptomaticus.* Ex his itaque luculenter conſtat, quo ſenſu dicantur *polyæmia idiopathica* & *ſymptomatica.*

§. 109. Alterum dubium hic removendum (§. 108.) illud eſt, quod moveri poſſet de *polyæmiæ ſymptomaticæ* (§. 104.) exiſtentia. Hujus autem veritatem multiplex evincit experientia. Docent eam maxime *polyæmiæ particalares* (§. 102.) tantùm non ſemper ab aliis dependentes morbis & propterea (§. 108.) omnino *ſymptomaticæ* dicendæ. Ab omnibus *v. g.* dolorum morbis ad loca adfecta provocari obſervamus majorem ſanguinis affluxum; a vaſis debilitatis, læſis, oriuntur varices, anevriſmata; à vaſis obſtructis, hæmorrhagiis impeditis, ſuppreſſis, frequentiſſimæ ſunt *polyaemiae particulares. Polyæmia ſymptomatica univerſalis* rariùs quidem exiſtit, occurrit tamen nonnunquam. Dictæ poſteriores cauſæ *v. g.* non ſolum *particularem* ſed & *univerſalem* producere poſſunt ſanguinis exundantiam. Ita porro *polyæmiam* morboſam, quam voracitas, à fame præternaturali, *v. g.* bulimo, excitat, producere poteſt; ea, quæ excipit amputationes, & *univerſalis* eſt, & *ſymptomatica.*

§. 110. Amplioris ambitus eſt hæc *polyæmiæ diviſio* à *cauſis* ipſis deſumpta (§. 104.). Vtrumque enim illius membrum multas alias inferiores ſub ſe comprehendit varietates. *Polyæmia* nempe *ſymptomatica* denuo totidem ſub ſe complectitur *ſpecies*, quot ſunt morbi alii, à quibus iſta poteſt produci. Sed haſce diverſitates præterire licet partim ob dictam (§. 57.) rationem, partim ideo, quia coincidunt cum illis, quæ nituntur fundamentô à ſua cum aliis complicatione petitô (§. 54.). Præterea eadem ex modo dictis (§. 109.) maximâ parte intelliguntur. Quod ad *idiopathicam*, hæc pariter varia eſt, pro varietate reliquarum cauſarum quæ non iterum ſunt morbi (§. 105.). Alia nempe eſt *edacitatis*, alia *bibacitatis*, quarum utraque ultrà variat pro varietate eſculentorum & potulentorum. *Alius* fortis *polyæmiam* profecto ingenerat diæta ſicca, *aliam* humectans, & utrinque *aliam* efficiunt acida, *aliam* dulcis, ſalſa, acris, aromatica, *aliam* ſpirituoſa, *aliam* alia. In harum vero & ſimilium diverſitatum ſpecialiſſimas diſquiſitiones deſcendere, nimis prolixum foret. Sufficit momenta cauſæ attingere in ejusmodi *doctrinis pathologicis*, quoniam reliqua

qua, ubi vacat, aut in praxi neceſſe eſt, facile ſupplentur (§. .). Ceterum quod hic ſilentiô plane præterire nequeo, certum compertumque eſt, *voraces*, præ *potatoribus* & inter hos, præ vini *potatoribus*, aliis ſulphureis potulentis *v. g.* potu coffée, ſuccolatæ *&c.* ſeſe ingurgitantes, ſæpe longe majores promeritas *polyæmiæ* luere pœnas.

§. 111. *Polyæmiæ* quoque eſt diverſitas ob ipſa illius *ſymptomata* (§. 100.). Hæc qualescunque dicuntur *morbi complicati* ab ipſa, vel *mediatè* vel *immediatè* producti (§. 108.). *Symptomata* cujusvis morbi ſunt: vel *conſtantia*, vel *non conſtantia*, *illa*, quæ ſemper, *hæc*, quæ non ſemper, cum iſta conjuncta ſunt, ideoque modò adeſſe, modò abeſſe poſſunt. Ita nimia vaſorum repletio, inde dependens eorum ultra gradum naturalem aucta tenſio, juſtò major maſſæ auctæ propellendæ renixus, ſunt *conſtantia polyæmiæ ſymptomata*. Ejusmodi vero *ſymptomata*, neque hujus, neque alius, morbi variant *ſpeciem*. Varia quidem hæc ipſa eſſe poſſunt ſymptomata reſpectu quantitatis ſuæ. *Num vero quantitas variet ſpeciem*, exercitii gratia publicæ in hanc diſſertationem inſtituendæ diſceptationi hic relinquam. Reſpectu ſaltem *minus conſtantium ſymptomatum* hunc & quemlibet alium morbum *ſpeciatim* variæ eſſe indolis, plane indubium eſt.

§. 112. Præterire autem hic licet *ſpecialiorem* hanc (§. 111.) *polyæmiæ* disquiſitionem, partim brevitatis ergo (§. 57.) partim, quia *ſymptomata*, à quibus hæc dependet varietas, in reliquâ demum hujus morbi pathologiâ evolvuntur (§. 11, 12.) partim quoniam hujus claſſis diverſitates cum iis, quæ à morbis *complicatis generatim* petitæ ſunt (§. 60.), ex parte coincidunt, ſaltim inde facile intelliguntur & ſuppleri poſſunt. Modo non exiſtimemus, idcirco plane exſpirare hanc *polyæmiæ* ſpecialem diverſitatem & hoc nomine perinde eſſe, ſive iſta aliusve morbus cum alio hoc iſtove ſibi *ſymptomatico*, ſive aliunde oriundo complicetur. Namque *v. gr. polyæmia lenta*, *commota*, *ſpiſſa*, *cacochymica*, aliter ſe habent, ubi ſegnities, commotio, ſpiſſitudo, corruptio ſanguinis ab ipſa ejus exundantia prognatæ ſunt, quam ubi iidem complicati morbi aliam agnoſcunt originem & *v. g.* ab hauſto veneno, à vita otioſa, à nimiis corporis exercitiis &c. inducuntur.

§. 113. Varia quoque eſt *polyæmia* reſpectu tam ſuorum, quibus ſe manifeſtat *ſignorum*, quam ſuæ plus minusve periculoſæ conſtitutionis. Duplici hôc fundamentô nituntur binæ diviſiones *polyæmiæ*: a) in *tectam* & *manifeſtam*; b) in *lethalem* & *non lethalem* atque hujus in *plus minus periculoſam*. Haud ſuperflua nec inutilia cenſenda ejusmodi diſcrimina. Pro majoribus minoribusve quorumvis morborum periculis variant omnino noſtræ de iis ſolicitudines, ad hæc dirigendæ. Ad ægrotorum inſuper deſideria plerumque vates agere jubemur, præſagiendo damna ipſis imminentia. Eadem urget monita hodienum adeo frequens & ægrorum & medentium inconſiderantia, qua multo, quam par eſt, negligentius curant & nimis leviter ſuas habent polyæmias ipſisque pediſſequa damna. Sæpe ſæpius lethiferas iſtas eſſe poſſe rarius ipſis in mentem venit, ſaltim vel juſto parciorem vel plane nullam hujus lethalitatis mentionem injiciunt *Pathologi*. Hanc incuriam plus ſatis redarguunt vel ſolæ iſtæ inter nos hodienum adeoque frequentes puerperarum ſtrages, quas certe plerumque edunt earum per difficiliorem partum maxime exagitatæ & vulgo negligentius

tractatæ

tractatæ polyæmiæ, apud morigeras tam facile præcavendæ & minimùm facilius removendæ, quam inde enatæ, quibus ſuccumbunt, puerperæ. Taceo alias lethales polyæmias *v. g.* ſub febribus ab initio præſertim leviter habitas, & poſtmodum ex improviſo celerioris putredinis, convulſionum, phrenitidis aliorumque malorum perque iſta mortis cauſas effectrices triſtiſſimas.

§. 114. Et hæc (§. 113.) ipſa oſcitantia eo magis inculcat monitum de obſervando *polyæmiæ occultioris* à *manifeſta* diſcrimine. *Incipiens* & in ſua nativitate facilius præfocandum hoc malum raro obſervatur. Jam *enatum* nec notabilioribus damnis ſtipatum & tectè, ſed ſæpe eo magis nocens, adhucdum negligitur. Quin imo vel gravioribus, ſat multis & valde evidentibus, ſuis ſymptomatibus ſeſe manifeſtans ab iis nondum agnoſcitur, quos inter moris eſt quascunque potius alias morborum allegare cauſas, quam fœcundiſſimam hanc ſuæ ſobolis matrem agnoſcere. *Multos* defraudat parcior diæta. Sed *parcè ſæpe vivitur, nec tamen temperatè.* Multi, qui vix ſemel de die commedunt & prandio acquieſcunt nec cœnant, aut repetitâ etiam vice deminutas amant epulas, ſatis erronee ſæpe à *polyæmiæ* immunes eſſe cenſentur, quando nempe pranſitant non prandent & utut parciori, largius tamen nutriente, utuntur diæta & vitâ inſuper gaudent otioſâ, ſub quâ illa, vel parciſſima, eſt nimia. Hæc enim univerſalis eſt à CREATORE omnibus animantibus lex ſcripta, ut, qui otioſè degunt, miſerè degant & male, vel optime & parciſſime victitantes. Neque unquam hoc fallit paradoxon: Qui per diem epulantur ſemel, quam qui novies, ut de inferioris ſortis Suecis perhibent, & qui pauca, quam qui multa, multo plura ſæpe ingerunt ſicque ex ſemipleno ventriculo plus quam ad gulam usque repleti infarctique in ſuccum & ſanguinem convertunt mox abundaturum. *Alios* non plane otioſum & quodammodo mobile decipit vitæ genus. Sedili ſuo quidem non ſemper inhærent, obambulant nonnunquam, ſubinde equitant, interdum curru vehuntur, quandoque etiam alias operulas ſuſcipiunt. Verùm enim vero obambulando vix pedes movent, equis curriſque ſuis modeſtè vecti vix concuti ſe patiuntur, operulæ eorum minùs operoſæ ſunt & cunctabundi labores non laborioſi atque in fugam vacui tantùm inſtituti. Nulla igitur proportio eſt inter ingeſta atque ejusmodi, vel activos, vel paſſivos, corporis motus eſt proinde nihilominus ſemper plus ingerunt, digeruntque, quam egerunt. *Aliis* fallax illa imponit ſpes, quam de venæſectionibus fovent, quibus bis, ter, quaterve quotannis repetitis ſanguinis abundantis copiam ſufficienter detrahi putant, non cogitantes aut perſpicere neſcientes, brevi temporè ſub lautiori diæta celerius recuperari amiſſum ſanguinem & paucarum dierum intervallo majorem ejus denuo ingenerari copiam, quam quæ fuit detracta. *Alii* ad aſpectum corporis alicujus macilentioris ita cæcutiunt, ut nullam in iſto videre poſſint & admittere ſanguinis exundantiam, quum tamen graciles & macilenti præ obeſis plerumque ſint ſanguinolenti. *Aliis* ſenium fucum facit, ut neque aliis credere, neque ipſimet poſſint intelligere, quî fiat, ut ſenes junioribus haud raro ſint ſanguinolentiores. *Aliis* quoque modis occultata eſt polyæmiæ exiſtentia, ex hac ipſa ratione operoſius manifeſtanda.

§. 115. Quoad invaſionem ſuam (§. 104.) *polyæmia* alia pedetentim & ſucceſſive accedit, alia celerius breviore temporis intervallô innaſcitur. Vnde haud

ab

abſre eſt, illam dividere: a) *in retardatam* & b) *acceleratam*, quatenus *illa* tardius, *hæc* vero celerius ingeneratur. Dignam obſervatu eſſe hanc differentiam, & ratio, & experientia, docent. Vtriusque teſtimoniô convincimur, omnes celeriores corporis animalis mutationes, in ſe aliàs naturales & bonas, non bene tamen ſed peſſime ſæpiſſime cedere & facillime fieri quam maxime funeſtas. Tanto magis igitur damnoſum erit, ſi natura animalis præcipiti mutatione jam in ſe morboſa in pejus ruit. Moderata hic tantùm durant & minori ſaltim tolerantur periculô vel ipſa lentiùs ingruentia mala. Ipſi *polyæmia* laborantes exemplô ſuo id probant, inter quos eos illam innocentius ferre obſervamus, qui ſucceſſivè huic aſſueſcunt oneri ferendo, quam eos, qui accelerată ôbruuntur *polyæmiâ*.

§. 116. Ex quo (§. 115.) unà eluceſcit non inutilem quoque eſſe *polyæmiæ diviſionem*: a) in *recentem*, ſeu *inſuetam* & b) *conſuetam*, ſeu *inveteratam*, quarum *illa* ea eſt, ad quam ferendam, utpote recens ingeneratam, nondum diſpoſita eſt corporis fabrica, *hæc* vero ea, ad quam ferendam tractu temporis corpus animale habitum velut contraxit, unde *habitualis* quoque poſſet dici. Eam ſane ab initio longe gravius affligere nondum adſuetos, quam illi jamjam adſuetos oculatiores non fugit obſervatores clinicos. Neque ideo obſcura eſt ratio, cur honoratiores, literati, *polyæmiæ* moleſtias minùs ſentiant quam populares. Illi enim lautiori & deſidioſæ vitæ ſueti conſueſcunt unà *polyæmiæ* feliciùs ferendæ. Ex quo equidem medicam demandatam habui ſpartam, haud raro oblata mihi fuerunt inferioris ſortis hominum exempla, qui vulgaribus olim aſſuefacti laboribus nec de pane lucrando amplius ſoliciti honoratiorum ſenumque ſedilibus ſeſe addicebant, ante vitæ ſuæ finem, ut ajebant, quietem capturi, qui vero mox acerbiores ita contractæ *polyæmiæ* pœnas luere debebant, &, ni melioribus obtemperaſſent conſiliis, quietis certe, non vero ejus, quam quærebant, ſed æternæ ſuâ omni expectatione celeriùs participes facti fuiſſent.

§. 117. Reſtant *polyæmiæ* varietates à *ſubjectorum* ſuorum varietate dependentes. *Subjectum inhæſionis* à *ſubjecto*, vel *latius*, vel *logice*, dicto, diſtinctum, iterum vel *latiùs* vel *ſtrictiùs*, ſumunt. Prior ſignificatus convenientior & uſitatior inſuper eſt, præſertim inter noſtri fori Pathologos. Hi enim, quando de *ſubjectis morborum* loquuntur, per iſta intelligunt generatim *individua*, quibus aliquis ineſt morbus, licet illa non tota, ſed has iſtasve illorum tantùm partes occupaverit. *Latiori* igitur hôc ſenſu *ſubjectum inhæſionis* vocatur ens, quatenus ipſi aliquid inhæret. *Subjectum* igitur *morbi* eſt ſubjectum inhæſionis morbi & propterea *ſubjectum inhæſionis*, quatenus ipſi ineſt morbus, ſive illud *ſimplex* fuerit, ſive *compoſitum*.

§. 118. Enti vero (§. 117.), tam *ſimplici*, quam *compoſito*, aliquid ineſt, ſive illud præciſè huic iſtive illius ſtatui inſit, ſive quoad reliquum illius ſtatum unà ineſſe conſideretur. Inde *ſubjectum inhæſionis* legitimè dividitur: a) in *remotum* & b) *proximum*. *Illud* eſt ſubjectum inhæſionis, cui aliquid non præciſe & immediate ineſt. Is igitur entis ſtatus, cui præciſe non ineſt, quod enti tamen ineſt, eſt *ſubjectum inhæſionis remotum*. *Proximum* contra *inhæſionis ſubjectum* eſt ſubjectum inhæſionis, cui præciſe & immediate aliquid ineſt. Perinde itaque eſt, ſive aliquid ita inſit certo tantùm entis ſtatui, ſive omni illius ſtatui

 ideo-

ideoque toti enti. Ita univerſum corpus eſt *ſubjectum proximum polyæmiæ univerſalis* non minus ac *v. g.* pectus *polyæmiæ pectoralis*. Hujus vero *ſubjectum remotum* conſtituunt reliquæ ejusdem individui partes.

§. 119. De horum (§. 118.) conceptuum debita determinatione *alios* nondum ſolicitos fuiſſe obſervamus. Vulgo quidem loquuntur de *ſede morborum*, per quam revera nil aliud innuunt, quam *ſubjectum* morborum *proximum*. Prior *vero terminus*, quam hic, minùs *technicus* eſſe videtur. *Deinde* ubi de *ſubjectis morborum* agunt, de iſtis quoque nimis vagè loqui ſolent, nullum inter *remotum* & *proximum* facientes diſcrimen. Neque de iſtis differentes aliquid de *ſede morborum* habent & ubi de hac aliquid habent, tantùm abeſt, ut eam tanquam *ſubjectum* morborum *proximum* explicent, ut illam ne quidem obiter ad *ſubjecta morborum* referre videantur.

§. 120. Varietates ſubjectorum reſpectu obſervandæ *generaliores* ſunt: a) *ſexus*; b) *ætas*; c) *temperamentum*; d) *vitæ genus*; *ſpecialiores*, quæ petuntur à partium in iisdem individuis diverſa conditione. Alias *ſexus*, alias *ætatum*, alias *temperamentorum*, alias *vitæ generis* eſſe rationes, in confeſſo habemus omnes. Pro harum diverſitate toties quoties diverſas pati mutationes qualiacunque *corpora organica* ab experientia ſcitur luculentiſſime & a priori, ut ajunt, luculentiùs poſſet demonſtrari, ſi paginarum anguſtia id jam permitteret. Mutatis ita *morborum ſubjectis* non poſſe non mutari morborum ipſis inhærentium ſtatus, horum cum iſtis intimus nexus ſatis ſuperque evincit. Ex eadem ratione certum eſt, illos pro ipſarum, quibus inſident, partium varietate pariter variare. Aliæ aliam habent mixtionem, aliæ aliam ſtructuram, aliæ proinde aliis ſunt teneriores, aliæ aliis irritabiliores. Ecquem fugit hodie, quam diverſa ſint de cetero conſimilium morborum phænomena pro diſſimilium, quas occupant, partium diverſitate, pro varia maxime ipſis innatæ irritabilitatis ratione. Inflammationes *v. g.* pathologice dictæ, quam in aliis, in tenerioribus & majori irritabilitate præditis, partibus longe alias exhibent metamorphoſes. Vulnera ſunt vulnera, alia vero in muſculoſis, aliisve minus irritabilibus, alia in nervoſis, acutiſſima irritabilitate donatis, ubi ſæpe celerrimas & atrociſſimas inferunt convulſiones (§. 121.). Haud enim (§. 120.) cum merè mechanico, potius cum *organico*, *corpore* nos rem habere, ſemper cogitemus nec *puram putam mechanicam philoſophiam* noſtram eſſe unquam puteınus, neceſſe eſt. Quæ vero heic de *irritabilitate* inſerui, illa neque de *qualitate occulta*, neque de *ſenſibilitate*, intelligi volo. Jam enim *ſub irritabilitatis* tegmine novam *qualitatem occultam* in forum noſtrum introducere, aut tecte eam cum *ſenſibilitate*, vel plane confundere, vel fruſtra cum hac *ſynonymicè* dicere, ubique peccatum foret, nuſlibi quid novi. Verùm de his alibi apertiùs.

§. 122. Ratione igitur *ſexus* (§. 120. a) *polyæmia* alia eſt: a) *maſculorum* alia b) *fœminarum*. *Sexus* propriam diverſitatem faciunt genitalia, non alia. Quicquid alii de aliis ſexus varietatibus in ejusmodi doctrinis immiſcere ſolent, illud omne *proprie* huc non ſpectat. Majus corporis robur, exercitatior in rebus agendis dexteritas & quæ ſunt aliæ prærogativæ, quas maribus præ fœminis vulgò vindicant, neutiquam illius præciſe *ſexus* ſunt proprietates. Vidi fœminas viris robuſtiores, novi virgines juvenibus dociliores, uxores ipſis maritis

ritis doctiores & ad res agendas ſæpe aptiores, hypochondriacis oſcitabundis, ſomniculoſis aliisque male feriatis, vigilantiores, alacriores, actuoſiores, compotatrices potatoribus aliis exercitatiores, viragines viris meticuloſis animoſiores, audaciores & caligatis multis heroibus bellicoſiores, ferociores. Præterea, quas moraliter caligas geſtare ajunt. Rariores quidem ſunt *ſexus ſequioris* præ *virili* ejusmodi prærogativæ. Interim tamen eæ ipſæ docent, primatum, quem hodie tenent viri, hiſce non eſſe *proprium* & utrumque *ſexum*, præter eſſentiale diſcrimen pari paſſu ambulare, & neque animas hominum ſexu differre, neque corpora eorum, niſi ſolis generationi dicatis organis. Quoad hæc maſculinus, quem *potiorem* dicunt, *ſexus*, potiorem habet proprietatem, ob quam *propriè* vocari poteſt potior, ab omnibus aliis primatibus ſuis potior non niſi *impropriè* nuncupatur. Reſpectu itaque *ſexus, qua talis*, hîc dividitur *polyæmia*. Reliqua ſexui non propria huc non ſpectant & ad alios articulos pertinent *v. gr.* de vitæ genere *&c.* Ad *ſtatus ſequiori ſexui* proprios referuntur *fluxus menſtruus*, *graviditas*, *partus*, *lochia* poſt partum, *lactatio* ſobolis, qui omnes, utut naturales, *polyæmiæ* multum inferre poſſunt varietatem. Præternaturales vero ejusmodi ſtatus, quatenus mutant *polyaemiam*, pertinent ad articulum de morbis cum iſta complicatis, de quibus jam ſuprà.

§. 123. Neque (§. 122.) *ætatum* cauſâ (§. 120. b.) *polyæmia* fruſtra diſpeſcitur: a) in *juvenilem*; b) *virilem*; c) *ſenilem*. Tribus enim hiſce ætatum ſtadiis certas & ad certa loca determinatas reſpondere *polyæmias*, certo certiùs habemus. *Ætatem juvenilem* ad narium hæmorrhagias procliviorem eſſe quàm aliam, per vulgus notum eſt. *Virili*, ob ſanguinis adpectus determinati congeſtiones, hæmoptoës pericula præſertim imminere, Medicorum docent locupletes obſervationes. *Senilem* deniique ad vomitus cruentos, mictus cruentos, hæmorrhoides, præ alia diſpoſitam eſſe, fidem pariter certiſſimam facit praxis noſtra. Vnde vero iſtæ, obſecro, ſanguinis morboſæ evacuationes, ſi non plerumque ab ejusdem exundantia, vel particulari, vel univerſali? Et hæc unde, ſi non à determinatis ætatum mutationibus? Nonne vero ea propter quam maxime expedit *polyæmiæ* juxta ætatis viciſſitudines incidentes varietates, & in *doctrinis* noſtris annotare, & in *praxi* noſtra curioſius obſervare? Quid? quod *ætatem*, quæ vulgo non in computationem venit, eam puto, quam in utero reapſe jamjam vivimus materno, hic & alibi in rebus nobis concreditis perbene computabilem & computatu digniſſimam eſſe, exiſtimaverim.

§. 124. Non minus (§. 123.) perutilem eſſe judico ſolicitiorem *temperamentorum* conſiderationem in dignoſcendis morborum diſcriminibus. *Temperamentum* aliud eſt *corporis*, aliud *animæ* ipſi unitæ, aliud *totius animalis*, ſpeciatim *hominis*. Ex binis prioribus reſultat tertium. Hujus autem illa *partes* potiùs ſunt, quam *ſpecies*. Pro *temperamentorum* varietatibus animalium variare ſtatûs morboſos omnes & ſingulos, ratio & experientia denuo condocent. Pro eorum conditionibus variis variabunt quoque *polyæmiæ*, & *univerſales*, & *particulares* (§. 101.). Conveniens, ſed nondum, ut decet, excuſſa & quandoquidem valde fabuloſè explicata eſt *diviſio temperamentorum*: in *cholericum*, *melancholicum*, *ſanguineum* & *phlegmaticum*. Saniori tamen ſenſu acceptis hiſce *ſpeciebus* non inconvenienter *polyæmia* dividitur: a) in *cholericam*; b) *melancholicam*, c) *ſan-*

guineam & d) *phlegmaticam*. Sub omnibus dictis *temperamentis*, vel ſanguineo non excepto, & abeſſe, & adeſſe, poteſt ſanguinis exuperantia. Si adeſt, diverſam omnino efficit *polyæmiæ* indolem. Ita *cholerici* & *cholericæ* ſanguine turgentes choleram, icterum, febres bilioſas, lethiferas per excellentiam dictas, maniam, alioſque morbos, facilius concipiunt, quam alii, aliæve. *Polyæmia melancholica* ad ſpiſſationes ſanguinis aliorumque humorum, ad alias inde ſoboleſcentes ægritudines, ad placida deliria, hypochondriaca, hyſterica *&c.* proclivior eſt. *Polyæmia ſanguinea* præ alia ad hæmorrhagias, ad febres ephemeras, inflammatorias *&c.* diſponit. *Phlegmatica* ad morbos catarrhales, cachecticos, hydropicos *&c.* Præterire jubeor, quæ hic addi poſſent de *animæ temperamento*, de triſtitiæ, hilaritatis, iracundiæ *&c.* influxu. Hæ & aliæ multo plures *temperamentorum* cum *polyæmia* conſpirationes abunde comprobant *uſum* commemoratæ diviſionis.

§. 125. *Polyæmiam* ſemper aliam ſub alio vitæ genere exhibere indolem (§. 120. d.), perquam perſpicuum eſſe cenſeo. Mutat eam diverſa diætæ ratio, de qua jam ſupra (§. .). Mutat eam maxime motus corporis voluntarius. Sub vita ſufficienter laborioſa nullum quidem imminet *polyæmiæ* periculum. Labor enim vel voraciſſimis pabulum *polyæmiæ* detrahit. Supereſt itaque ſola illa varietas à plus minus *otioſa vita* dependens, quam juxta *polyæmia* diſpeſcitur: a) in *plane otioſam* & b) *mediocriter otioſam*. Priorem alius eſſe indolis magisque ominoſam, quam poſteriorem, evidens eſt. Sub illa ſaltem omnia noſtra conſilia irrita eſſe experimur. Neque enim venæſectiones, neque ſudationes, neque evacuationes aliæ, in arte noſtra poſitæ, neque parciora, quæ admittunt jejunia, expectationi reſpondent. Certa enim eſt & nullâ arte mutabilis & condignæ pœnæ locô ſcripta, quæ *otioſa animantia* ne ad ſatietatem quidem ſine damno edere ſinit atque ita omnes diætæ delicias, aliis à *creaturæ* AVCTORE benigne conceſſas, in detrimentum cedere jubet. De reliquo tamen, cui proſequi libuerit has meditationes, facile plures *ſpecialiores polyæmiæ* varietates hic detegere poterit. Ita enim *v. g. Literatorum* quodammodo aliter, quam aliorum *otioſorum*, ſe habet *polyæmia*. Sed de his jam ſatis. Ad finem properat calamus. Supereſt *ſpecialior* iſta (§. 120.) *polyæmiæ* varietas.

§. 126. Quoad partes quoque, quas infeſtant, morbi valde diſcrepant. Aliæ alias habent diſpoſitiones, quæ idcirco pro ſua diverſitate ad diverſam diſponunt indolem qualemcunque ejusdem nominis morbum. Inde nova reſultat varietas polyæmiæ, non quidem *univerſalis*, ſed *particularis* (§. 101.). Locô enim illa non differt, ubique locorum ſuam habet ſedem. Sede igitur non diſcrepat *polyæmia univerſalis*, utpote totius inundans corporis compagem: Quæ de *ſede polyæmiæ* quidam diſputant reſpectu varietatis ipſorum vaſorum ſanguiferorum, afferto non repugnant. Venoſa vaſa arterioſis molliora, debiliora, capaciora, numeroſiora ſunt. Haud igitur mirum, illa ubique fere (eſt enim exceptio, ſed rara,) plus capere ſanguinis ſub naturali æque ac præternaturali ſtatu. Licet itaque in *polyæmia univerſali* vaſa non æqualem capiant copiam ſanguinis, omnia tamen ſimul & determinatâ replentur proportione. Hæc vero varietas non mutat *ſpeciem polyæmiæ*. *Univerſalis* illa hôc non obſtan-

te

re manet *univerſalis*, quatenus univerſum occupat corpus. Quamprimum vero ceſſat repletionis illius ſolita proportio, eo ipſo ſuboritur *particularis*.

§. 127. Quapropter juxta ſubſtratum (§. 126.) fundamentum ſola *diviſibilis* eſt *polyæmia particularis*, cujus exiſtentiam ſupra (§. 102.) reddidi indubiam. Hæc itaque recte diſpecitur: a) in *arterioſam*, quæ *arterias*, & b) *venoſam*, quæ *venas* & c) *polyæmiam vaſorum ſanguiferorum medii ordinis*, quæ hujus nominis vaſa occupant. Primæ *ſpeciei* exempla præbent *inflammationes particulares ſanguineæ*, ab obſtructione arteriolarum dependentes. Harum enim obſtructionibus non omnis debetur *inflammatio*, ne quidem *ſanguinea*. Secundam *polyæmiæ ſpeciem* exemplô ſuo illuſtrant varices, collectiones ſanguinis in vena portarum *&c*. Tertiæ *ſpeciei* exempla eſſe poſſunt congeſtiones ſanguinis in liene, in pene *v. g.* ſub priapiſmo *&c.*

§. 128. Reſpectu reliquarum (§. 127.) partium, magis compoſitarum, in quibus ſedem ſuam figit infelix *polyæmia*, multiplices illius eſſe ſolent varietates. Siquidem hujus claſſis præcipuas & memoratu digniores reſpicere velimus, intelligemus illam ſub ampliori ambitu conſideratam non inutiliter diſpeſci: in *polyæmiam* a) *capitis*, ſeu *cephalicam*, b) *trunci*, c) *extremitatum*. *Polyæmia trunci* ſub ſe complectitur maxime *pectoralem*, fœcundiſſimam plurimorum morborum pectoralium phtyſeos, hæmoptiſis aliorumque genitricem, & *abdominalem*, quæ denuo alias ſub ſe habet *v. g. ſtomachalem*, à qua vomitus cruenti una ſpecies dependet, *hepaticam*, à qua, licet rarius, *morbus* iſte *niger* veteribus dictus, nec hodie ſatis cognitus; *ſplenicam*, *uterinam*, *hæmorrhoidalem*, *hypochondriacam &c.* Licet enim ejusmodi *polyæmiæ particulares* haud raro ſociatam habeant *univerſalem* & hanc unà pro ſua agnoſcant cauſa, nequaquam tamen ſemper & omnes ejusmodi *polyæmia univerſali* laborant *polyæmia*, ad quod hæmatomantia quorundam non ſemper debitè advertit, ut id eorum teſtantur pandectæ & praxes.

§. 129. Prætereo intimiorem hujus (§. 128.) varietatis diſquiſitionem, ne in iſta ſim nimius (§. 87.). Indicatis enim præcipuis cauſæ momentis, illam ultra proſequi, erit perquam facile. *Vſu* vero non carere ejusmodi diſcriminum obſervationes, in *praxi* maxime, probatione non indiget, quum id ſponte pateat cuivis, vel leviter attendenti.

§. 130. Vnicum, quod hic (§. 129.) ſubit, annecto *polyæmiæ exemplum*, plane *ſingulare*. Novi mediæ ætatis virum, qui in toto dextro latere intenſius calebat, in altero ad ſenſum ubique ferè frigidus. Accedentibus animi corporis commotionibus in ſolo dextro rubore, madore, ſudore, perfundebatur, in oppoſito interim vel ſub intenſiſſimo ſolis, vel hypocauſti, vel lecti calore, usque immutatus perſiſtens, ut neque ulla caloris mutatio contingeret, neque mador, multo minus ſudor prorumperet ullus, durante interea pertinaciter cutis pallore & ſiccitate. Contraria hæc phænomena in eodem *ſubjecto* quoad exiſtentiam ſuam exacte ſibi invicem reſpondebant, quippe juxta longitudinem corporis à vertice per centrum, gravitatis ſuæ facta ſectione illudque ſic in duas exactè dividente partes jucundô non minus quam conſideratu dignô ſpectaculô *v. g.* dimidia pars frontis, naſi, menthi, totiusque faciei rube-

 bat,

bat, madebat, ſudebat oppoſitâ interea neque rubente, neque madente; neque ſudante.

§. 131. Mitto denique alias aliorum ſæpe ſteriles *polyæmiæ diviſiones.* Si cui vero hactenus dictæ forte viderentur minùs fœcundæ, aut ſaltem juſto plures, illi ad *primùm* reſpondeo, id mihi non ita videri, & ad *ſecundum* regero hoc, quo ipſo colophonem huic impono operi, paradoxon: EIVSDEM NOMINIS MORBVS IN MILLENIS OCCVRRENS SVBIECTIS MILLENIS QVOQVE VARIAT VICIBVS ET OMNIS, QVOT IN IISDEM, IMMO QVOTQVOT IN DIVERSIS, AB ORBE VSQVE CONDITO PER OMNIA RETRO SECVLA RECVRREBAT AVT RECVRRET PEROMNIA FVTVRA, TOT ETIAM VARIAVIT TOTQVE PORRO VARIABIT VICIBVS.

Accipe denique paradoxi hujus magis forſan paradoxa hæc conſectaria: E. nullibi ulla ſcripta eſt, aut ſcribi, aut in ſubſeliis noſtris tradi, poterit MEDICINA INDIVIDVALIS. *E. talis neque datur pro nobis* CLINICA, *neque* FORENSIS *pro aliis cauſarum Patronis. E. enormiter decipiunt decipiunturque, qui in libris ſchedisque ſuis aliorumve quærunt, quæſitaque ſe deprehendiſſe perhibent ipſa individua ex principiis dijudicanda medicis. E. ejusdem ignobilioris notæ ſunt & ipſi Medici, & tanto magis non Medici, medicas frivole ita ſibi ſumentes cauſas vel ſanitatis vel juſtitiæ. E. hi ſane utrinque intellectus voluntatisque vitiô turpiter ſe dant, vel alterutro, vel utroque, priori rerum agendarum ignorantiſſimi, altero ſceleratiſſimi, utroque ab omni ſanæ mentis charactere quàm alieniſſimi.*

TANTVM.

Nobiliſſimo
Doctissimo Domino Candidato
S. P. D.
PRAESES.

Videbimur forte quibusdam, DIGNISSIME CANDIDATE! *inanem operam luſiſſe in evolvenda alicujus morbi doctrina, qui minùs difficultatis habet, quàm multi alii. Atat alium non volui. Voluiſti enim ſpecimen enucleatioris & ad ſolitas in prælectionibus meis regulas expenſæ doctrinæ pathologicæ. Eum in finem, quàm abſtruſiorem, intellectu faciliorem ſeligere malui, ne materiæ difficultas impediret methodi, qua morbos nobis oblatos conſiderare decet, exemplar, pro viribus noſtris exhibendum. Vtere iſto ad præfixum ſcopum. Præterea* TIBI TVISQVE, DEXTERRIME CANDIDATE, *laudabiliter exantlatos academicos non ſolum, ſed & practicos, egregie jamjam per aliquod tempus peractos, gratulor labores. Et publicis namque, & privatis, ſtudiis omnem ſemper moviſti lapidem, ut qualescunque res, ad forum noſtrum ſpectantes, phyſicas, anatomicas, chemicas & pathologico-practicas* TIBI *redderes familiares. Clinicis hactenus exercitiis ad ipſos ægrotorum lectos diligentiæ & dexteritatis* TVAE *egregia ediditi ſpecimina. Perge, quo incepiſti, tramite. Decurre porro quàm feliciſſime veritatis & virtutis ſtadium, & in hoc ampliſſimam divinæ benedictionis meſſem expecta.*

Dab. d. 26. Apr.
1756.